ANNOTATIONES

IN

NELI TACITI "AGRICOLAM"

ADMIXTIS OBSERVATIONIBUS

MONIS TACITEI UT EXTAT IN "SCRIPTIS MINORIBUS".

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

IN ACADEMIA

GEORGIA AUGUSTA

RITE OBTINENDOS

SCRIPSIT

ADOLFUS POHLMANN.

GOTTINGAE MDCCCLXXI.

EXPRESSIT OFFICINA ACADEMICA DIETERICHIANA.

GUIL. FR. KAESTNER.

In Corneli Taciti »Agricola« quamvis diligenter elaborarint homines docti et recognoscendo et enarrando, tamen etiamnunc multas magnasque exhibet legentibus difficultates, quas nisi iunctis multorum conatibus studiisque superari non posse omnes consentiunt. Ac mihi partes unius e multis suscepturo hoc propositum est, ut quae cuiusque capitis verba ne novissimi quidem editores ad liquidum perduxerint certe definiam, non omissurus si quid ipse prioribus mihi videor verius explicare. Nihil enim attinet tantam molem interpretationum etiam atque etiam augeri, sed discernendo prolatarum probandas atque improbandas quid ubique expeditum, quid adhuc expediendum sit fieri perspicuum. — Jam vero breviter perstringam generaliores quasdam rationes, quas qui adhuc »Agricolam« ediderunt aequo minus videntur mihi secuti esse. Ac primo quidem loco, ut par est, dicat sententiam is quem hoc proximo lustro de Tacito optime omnium meritum esse indico, Eduardus Woelfflinus, qui egregiis quae Philol. vol. XXV. et XXVI. continentur commentationibus si non toti scriptorum Latinorum recognitioni atque enarrationi novas vias aperuit, id certe effecit ut posthac Taciti editoribus non iam liceat neglegere continuum eius in formanda atque excolenda oratione progressum. Cuius iustam scientiam cum nisi assiduis multorum annorum studiis non posse nos consequi ipse V. D. confirmet[1]),

1) Philol. XXV, 127: ».... Will man aber zur sicheren Erkenntniss der Wahrheit gelangen, so muss man sich der sorgfältigsten Detailuntersuchung nicht schämen und die verschieden wirkenden Factoren aus einanderhalten. Auch die Statistik, die Meteorolo-

illius saltem observationes quas l. l. in medium protulit diligenter cognoscere atque exscribere non omisi lectitavique quotquot ad »Agricolam« pertinere idem demonstravit. Cum hac sermonis Tacitei natura arte cohaeret incondita illa ac rudis vox excusata a Tacito cap. 3 extremo, quam post incertas interpretum explicationes accurate definivit Woelfflinus explicato planius, id quod omiserant superiores, adiectivo rudi. Cuius vim Wexius cum minoris duceret, verba vel incondita ac rudi voce ad solam eximiam quae in animo Taciti insedisset historiae speciem ac formam spectare prorsusque spernendam interpretationem Woltmanni censuit, qui Tacitum nondum satis ad historiam scribendam exercitatum et paratum nec miram illorum verborum verecundiam sibi videri diceret; quare ipse interpretatus est: »voce quae a vera artis historicae forma ac perfectione abest.« At Tacitus ipsam quam in annalibus stilo effinxit historiae componendae speciem perfectam non ante viginti annos animo ac mente concepit, aut ne in argutias nimias incidam [2]) tum nihil aliud nisi quid in brevi ac severo dicendi ge-

---

gie u. a. Zweige der Naturwissenschaften gewinnen ihre Resultate **nur aus langjährigen Beobachtungen** ....«. Facilius quidem nec paucis gratius est »nondum comperta eloquentia percolere«; quare, ut Spittae (»De Taciti in componendis enuntiatis ratione,« diss. Gotting. a. 1866, p. 2) verbisutar, »multa in hominum ore circumferuntur, quae quamvis in universum recta sint, tamen tam late patent, ut suum cuique sensum iis subdere liceat.«

2) Ceterum vid. quae Dial. c. 22 de Ciceronis iis orationibus dicuntur »quas iam senior et juxta finem vitae composuit, id est, postquam magis profecerat **usuque et experimentis didicerat quod optimum dicendi genus esset**«. Nec enim vereor ne quis eam quae e cap. sup. prox. referri huc possit sententiam ut scias ipsum .... defuisse contra laudet, quippe quam non vero indicio niti sed ab Apro omni animi »impetu saeculum suum defendente« cupidius fictam esse inde appareat quod, cum sine ingenio aut viribus ne accusationes quidem in Vatinium Calvus habere potuerit, ex iis quae antecedunt recte colligatur: . . . nec ing. ei aut vires .... sed voluntatem (diligentiam, curam, laborem, constantiam) defuisse.

nere posset quod ad tradendam memoriam saevorum temporum aptissimum ei videbatur primum tentaverat »magnumque opus esse et egere exercitatione non parva« erat expertus. Et haud scio an ob hanc quoque causam in prooemio, quod confecta ipsa vita scripsisse eum putaverim, cap. 3 questus sit ingenia studiaque diu oppressa difficilius ad industriam revocari e silentioque diuturno evasisse »vocem inconditam ac rudem.« Quae adjectiva neque explicasse recte Wexium neque nostra lingua proprie reddidisse existimo interpretes iis quae scripserunt »in schlichter (sive ungeschmückter) und kunstloser Rede« [3]), quae verba cum laudandi potius quam vituperandi vicem obtineant, minime congruunt cum toto capitis tertii argumento, quo conicere etiam prohibeamur loqui hic Tacitum faceta quadam et quasi immodesta modestia. Sed vox incondita ac rudis est vox nec bene composita nec exercitata, eine ungebildete und ungeübte Sprache [4]). Itaque verissima mihi videtur explicatio Woelfflini prolata Philol. XXV, 97 [5]). Etiam Hoeggius interpretans accuratius quam

3) Ita Roth., Hoegg. (progr. Arnsberg. a. 1846, p. 20), Gutmannus, Wexius, nisi quod hic ed. min. p. 25 priore loco ponit adi. »formlos«, quod si quis praeferat illi »ungebildet«, nil est quod contra dicam.

4) Quod r u d e est, est omnino non cultum aut compositum; quod i n c o n d i t u m, non ratione cultum, non ordine compos. Cfr. etiam de altero Cic. Phil. 6, 6, 17 r u d i s i n r e p.? q u i s e x e r c i t a t i o r?, de altero Tac. dial. c. 21 i n c o n d i t i s e n s u s (unreife Gedanken: Rothius), atque ne augeas rursus nimis illius vim, vid. locos quos Freundius lex. in v. c. congessit, inprimis Quintil. 94, 17 et 101, 66.

5) ». . . . Und dann ist eben Tac. zur Zeit, als er den Agric. schreibt, wenn schon etwa 40 J. alt und auch schon vorher in anderem Gebiete der Litteratur thätig (Reden, de facetiis [Aliter Aemil. Huebner. Hermae vol. I. p. 440 not.], wohl auch recitationes Quintil. X. 1, 104), doch als Historiker Anfänger, der sich Agr. 3 mit seiner incond. ac rud. vox entschuldigt und sich seinen historischen Stil erst noch selbst schaffen und durchbilden muss. Mit rudis bezeichnet Tac. in seiner Bescheidenheit den Mangel an Uebung und Gewandtheit, den Mangel einer abgerundeten, ausgefeilten Form . . . .«.

vertens p. 4, 12, 14, »in extrema praefatione excusari exiguam scribendi exercitationem« docet[6]). Nam ut Kritzio credam Tacitum verbis illis ex animo — iocum vero atque ironiam ab hoc loco aliena esse supra vidimus — »simul excusationem quandam brevi, nervoso et robusto dicendi generi quaesivisse, quod in maiore historiarum opere secutus sit«, tantum abest ut Tacitum ipsum hanc V. D. opinionem non modo non »probaturum quamvis leniter subridentem« sed prorsus reiecturum fuisse mihi persuasum sit. Minime enim respiciens »rhetoricum fucum qui tunc unice placebat« vocem inconditam ac rudem dixit — immo rationi voluntatique aetatis suorum incuriosae ne id quidem concessit ut vitam clari ac magni viri non scriberet (cfr. Plin. ep. 1, 20, 23) —, sed si cui alienum quoddam orationis exemplum animo Taciti verba illa scribentis obversatum esse statuendum videatur, is non dubito quin cognita Urlichsi »de vita et honoribus Agr.« commentatione (p. 4. 5)[7]) de uno Sallustio cogitari posse iudicaturus sit. Probabiliorem multo dixeris Hoeggi lepidam coniecturam, qui verbis iis »cohortationem simul aequalium contineri« putat, »ne quis verecundetur memoriam prioris servitutis et testimonium praesentium temporum componere.« Quodsi Tacitus sua quoque studia communi quae e silentio XV annorum profecta sit artium condicioni subiecta esse formamque orationis in vita Agricolae expressam ipse profitetur carere et arte et exercitatione, cum

6) Potissimum conferenda sunt quae p. 4 scribit: »Ex magno locorum numero, in quibus expediendis interpretes desudaverunt, supersunt etiamnunc, qui obscuritate laborant atque ita sunt comparati, ut difficultates non tam brevitatis studio, nec rebus ipsis, quam manu aut nimium festinanti **aut in eo scribendi genere non satis exercitata**, creatas esse suspiceris.« Huebnerus quoque l. l. iudicat: »Der historische Stil des Tac. erscheint im Agricola auch unter der mannigfachsten Verderbniss offenbar noch unentwickelt.«

7) Locis ibi laudatis adde cum Woelfflino (Kritzio): c. 30 quotiens . . . . fore = Catil. 58, 18 cum vos . . . tenet; c. 33 omnia prona victoribus (h. 3 84) = Jug. 114, 2.

modestia id dictum esse minime quidem potest negari; sed ne vanam hanc tantoque viro indignam esse arbitremur, hoc ipsum nobis tenendum est Tacitum e scribendo libro quo quasi transitum sibi muniverit a forensi oratione copiosa atque ornata [8]) ad historicae dictionis genus suum concisum et densum, cognitum habuisse maiorem etiam sibi opus esse exercitationem, qua parari artem ipse nobis affirmat Germ. cap. 24. Atque consentaneum est e contentione inter consuetudinem laetioris fusiorisque dicendi formae et revocandae eius ad severiora iudicia studium facta vincente modo hoc modo illa [9]) emanasse duriora nonnulla atque contorta, idque eo magis quod Tacitus non exili ieiunave sed gravi et sublimi dictione usus grandium sententiarum copia crebrisque collationibus delectatus est [10]) ac rhetorica adeo non vitavit [11]), ut eum a perversis enuntiatis pravisque iudiciis interdum sibi non cavisse homines docti coarguerint [12]). Nec non extare mihi videntur in »Agricola« plures loci in quibus vocem non satis compositam et excultam possimus agnoscere, atque saepius quam fecerint utendum fuisse puto editoribus excusatione scriptoris et emendantibus et explicantibus. Quae omnia non nequiquam a me exposita esse cum plures confido me probaturum tum ex toto Peerlkampi in librum nostrum commentario apparet. Cui delenti illa vel incondita ac rudi voce assentiri me nullo modo

8) Nam quamvis etiam »in causis agendis placuerit ei brevitas«, tamen orationes eius historico sermone latiores liberioresque fuisse verum est.

9) Cfr. quae de synonymis quae dicuntur dictisque abundantibus collegerunt viri docti (Weinkauffius, Huebner cet.).

10) Vid. Urlichs p. 4. Ceterum iam »Agricolae« pleraeque sententiae argutae concisae quoque ac breves sunt, v. c. capitum 4, 8, 12 extremae; cap. 6 secunda et quarta; latiorem et magis fusam habeas c. 3 natura tamen . . . amatur.

11) Vide etiam Huebneri disputationem Hermae vol. I. p. 440 et 447.

12) Halmius „Ueber einige controverse Stellen in der Germania des Tacitus« p. 18 sqq. (Woelfflinus Philol. XXVI. 158).

posse non esset quod commemorarem, nisi adicere vellem V. D. non tam verborum »mira Latinitate« ad delendum esse commotum quam errore illo gravissimo de quo Hoeggium audias optime disserentem: ». . . . . . . Ac profecto, si quis ad hanc vitae adumbrationem tanquam ad artificium, certis et definitis terminis circumscriptum, regulam et libellam adhibere et ad eam vel ingenii vel orationis imaginem, quam ex Taciti lectione sibi finxit animo, singula quaeque revocare et de suo sensu iudicare voluerit[13]), fieri vix potest, quin sit deprehensurus, quae dubitationem movere possint.« Maiorem igitur interpretando quam suspectando operam dare debemus[14]). — Aliis locis ut in interpretationem acrius incumbere possimus, cavendum nobis est ne in coniecturali quae dicitur emendatione dies noctesque consumamus. Atque inprimis in difficillimis iis locis quorum genuina verba vetere aliquo peccato obliterata obscurataque sunt, ita ut interdum ipsa contraria eorum quae ex sententiarum ordine poscantur legamus, nihil sane proficiunt contentiones eorum qui coniecturas coniecturis cumulant, facientes eas, ut solent, non e verborum summa clarius perspecta sed e priorum criticorum inventis, quae omnia ne verisimilia quidem fere iudicaveris. Sed multo magis refert ut corrupta verba in

13) Vid. ea maxime quae Peerlkampius edit. p. 1 et 16 scripsit: »Quapropter recte me fecisse sq. »et« Si Tacitum cognovi cet.«

14) Non alienum videtur ab hoc loco conferre Haupti illud de Thucydidis sermone (Hermae vol. III. p. 150, Anal. LXX): »Ad Thuc. sermonem intellegendum non prodest caeca gravissimi scriptoris admiratio, neque, ut libere dicam quod sentio, anxia et operosa interpretum quorundam subtilitas nunquam nocuit. multum autem prodest informare animo imaginem hominis magno ingenio magnaque sapientia praediti totamque rerum gestarum perscribendarum rationem ad artis severitatem revocantis, sed ea aetate qua prosa Atticorum oratio nondum satis exculta, rhetorum autem praeceptis modo confirmari coepta erat. itaque et abutitur oratoriis artificiis novitate tum blandientibus et luctatur quasi cum sermone multaque committit quae excusari possunt, laudari autem et tamquam perfectae artis exempla commendari neutiquam debent.«

integrum restituere nos nequire confessi utamur illis quos tradiderunt nobis grammatici obelis et asteriscis atque diligenter rem meditati vel librorum verba quid sibi velint vel quod vocabulum quaeve sententia ex argumento totius loci expectetur pro certo constituamus. — Nec delabimur, si misso nostri amore et studio ad scriptoris voluntatem quam proxime accedere ubique cum cura studemus, in illud coniciendi genus cuius exempla ut »scita illa quidem sed non necessaria, ergo falsa« aspernari ac respuere iussi sumus. Itaque omittamus excogitare coniecturas »sola mentis sagacitate obortas«[15]), quippe quibus minime iam egere vexatissima »Agricolae« verba comprobent commentarii critici, omnemque diligentiam et ad Woelfflini exemplum imitandum et ad exequendum munus interpretationis adhibeamus. Quae quidem ne ipsa modum excedat, praecipua cautione nobis opus est in supplendi ratione ineunda, qua saepius interpretes abusi sunt. Quod vitium ut certe vitemus, ubique teneamus oportet nihil prorsus in ulla lingua cogitando addi posse nisi quod et necessario et facile e sensu totius loci addatur, cuius legis si proprio quodam scriptoris usu formari tibi videtur exceptio satis eum constare utique necesse est; omnibus aliis locis aut nihil supplendum aut excidisse aliquid vel aliter verba corrupta esse statuendum erit. — Tum in locis mendi alicuius speciem prae se ferentibus coactas quas dicunt interpretationes, quae longo incedentes anfractu simplicem denique sententiam e verbis librorum eliciunt, plerumque non possumus non reicere, quia cur perspicuae et certae dictioni obscuram ac dubiam scriptorem praetulisse putandum sit non intellegimus. — Jam maxime contra Peerlkampi interpretationem id annotandum videtur non esse prudentis interpretis omnia scriptoris verba ad leges severe cogitandi aut accurate disserendi revocare eaque quae illis non plane respondeant addubitare, ne in prosa quidem oratione. Nec enim quascunque lingua in

15) Vid. Spitta l. l.

formis edendis neutiquam certa semper ac sibi constans finxit aut singulorum vocabulorum significationes aut verborum coniunctiones absolutum omnes cum ratione consensum exhibent, qua de re fusius exponere neque commentarioli huius neque meum est[16]), nec scriptores ubique aut recte cogitasse aut scripsisse emendate iudicandum est. Accedit quod Tacitus diversissimas notiones arte coniungere solet, ut in iis quae iuxta se posita sunt convenientiam saepe requiramus, de quo more sicut de aliis nonnullis rationibus quas in legendo »Agricola« observandas esse existimo in ipsis annotationibus disputabitur. —

In quibus quas adhibui editiones atque commentationes hae sunt: Editiones Haasei (1855), Ritteri (1864), Halmi (1866); Walchi (1828), Ritteri (1832, = ed. omn. op. anni 1836), Rothi (1833) cum annotationibus vers. germ. (1854) additis, Duebneri (1845), Ritteri (1848 interdum, 1852 ubique), Wexi (1852, mai. et min.), Peerlkampi (1864), Kritzi (1865), Draegeri (1869). Commentationes Hoeggi »Ex Tac. Agr. praefatio illustrata« (progr. gymn. Arnsberg. a. 1846), Schoemanni »Disputatio de loc. quibusd. Tac. vitae Agr.« (ind. schol. Gryphisw. 1859/60), Nipperdeyi in Mus. Rhen. n. s. vol. XVIII, p. 350—365, XIX, p. 97—113, Urlichsi (Eos I, 549—554), Ritteri in Mus. Rh. XX, 518 sqq., Woelfflini in Philol. XXV, p. 92—134, XXVI, p. 92—166; Huebneri Herm. v. I, p. 438—448, Urlichsi, Comment. de v. et honorib. Agr. (Wirceb. 1868). Tum praeter Boetticheri lex. Tac. librum Draegeri qui inscribitur »Ueber Syntax und Stil des Tacitus« Lips. a. 1868 editum contuli ad eiusque pa-

16) Sufficiat memorare permutationem numerorum (v. c. templa de uno templo dictum); notionem solendi gnomico qui dicitur aoristo tributam; *προςκεφάλαιον* signif. v. sedilis (Sitzkissen) usurpatum atque ea quae sunt goldenes Hufeisen; *νέκταρ οἰνοχοεῖν, κτύπον δέδορκα;* vel haec ceterorum fugacissimi, *ἀξιολογώτατον τῶν προγεγενημένων; τὰ τέκνα παίζει;* circumire illos coeperant, ni . . . . . Vide etiam Spittae (l. l. p. 39) scitam linguae cum arbore comparationem. —

ragraphos grammaticas meas observationes annotabo[17]). De compluribus librorum eorum cfr. sententia Woelfflini (Philol. XXVI, 135 sq.), qui quae de Hofmano Peerlkampio disserit iis homines docti magis magisque velim assentiantur[18]). — Codicum Vaticanorum novam collationem factam esse mihi nuntiavit epistola amici cuiusdam, ex qua eadem lectiones illius in Leutschi »Philol. Anzeiger« a. 1869 nr. 7 prolatas cognovi, quibus nescio an confirmetur quod Woelfflinus alt. comment. p. 93 indicat[19]). De »vetere codice« Ursini et annotatione marginali codicis *Γ* quae est inter doctos dissensionem ego cum diiudicare non possim, omittere tamen nolo et apud Leutschium l. l. et apud Woelfflinum (p. 137) novas de iis lectionibus afferri sententias, minus alienas a Wexi opinione quam iudicium Kritzi, cuius quidem argumentis illa non refutata mihi videtur (cf. Peerlk. ed. p. 172 extr.). — Ad extremum facere non possum quin veniam petam ei quo usus sum orthographiae generi, de qua cum aestate superioris anni Bergki V. D. epistolam Philol. vol. XXVIII, p. 438—468 editam legissem[20]), altius etiam in dubitationes inductus sum, e quibus ut emergerem nondum mihi contigisse graviter fero. — Jam praefationis finem facturo

17) In vocabulis explicandis raro eam quam potui persecutus sum copiam exemplorum — recte enim vetere proverbio docendi, non probandi vis iis tribuitur — semperque praetermisi quae a Freundio in lex. mai. collata inveneram.

18) Quae de Kritzi editione ibidem dicta sunt ea minus probari puto a Nipperdeyo et ab Urlichsio, quorum alterius commentatio Mus. Rhen. inserta quod a Kritzio (sic cap. 7, 3; 33, 2! v. etiam Woelfflini ad c. 22 extr. annotatio) plane neglecta est non possum non mirari.

19) »Aus den beiden Hss. des Agr. ist nach den Collationen eines Heinr. Brunn, Emil Braun, Theod. Mommsen, wie sie schon Wex zu Gebote standen, ebenso wenig [atque ex Germaniae cod. Perizoniano] etwas Neues zu holen.«

20) Legi ea quoque quae Woelfflinus prior. comment. p. 127 ex antecedenti expositione collegit: »dass die Tradition der Hss. in orthographischen Dingen . . . .«.

mihi nihil addendum restat nisi ut commentariolum meum valde cupiam a doctis probari, neque aptius quidquam habeo quo concludam quam Hoeggi verba »In quo si erroris convictus fuero, communis omnium, qui eundem lapidem movere conati sunt, fortuna consolari me poterit. Tentasse laborem sane neminem, nisi ignavum aut vanae gloriolae studiosum, pigebit.« —

Antequam singula persequor, pauca iis addere velim quae Urlichsius comment. s. p. 3—6 in Huebneri sententiam Hermae vol. I. l. l. ab illo defensam luculente disseruit quaeque probata legas in Zarnkei »Liter. Centralbl.« edito die X. mens. Jul. a. 1869. Huebnerus ipse iam concessit »Agricolam« non iustam laudationem funebrem esse sed a forma eius ortum [21]), ergo amplificatam, credo, laudationem latiusque scriptam quam quae haberi potuerit, sed tamen laudationem, i. e. in formam laudationis consulto compositum. Quod consilium ut in ipsa vita semel quidem diserte declaratum aut significatum inveniatur iure expectabis. Sed audiamus quae ipse opinioni suae contra dicenda affert refellentem Huebnerum. Descriptionem Britanniae aliaque quae cap. 10—17 contineantur aliena quidem ait ab oratorio genere laudationi suae Tacitum inseruisse, ita tamen ut diserte se excuset [22]). At ipsa haec

21) » . . . . Halten konnte er ihm also die Leichenrede nicht; deshalb schrieb er sie auf, und nicht eine förmliche laud. fun. selbst, aber hervorgegangen aus der Redeform der laud. fun. ist die uns vorlieg. Schrift . . . . «.

22) »Eingeschoben in die enarratio ist freilich ein Stück, welches in der Form und Ausdehnung, in welcher es vorliegt, in einer Leichenrede, auch in einer nicht wirklich gehaltenen, keinen schicklichen Platz findet: die Beschreibung von Britannien und die Erzählung von den früheren Expeditionen dorthin (Cap. 10—17). Diess Stück ist eine selbständige historische Studie, kein bloss rhetorisches Stück [talem appellanti totum reliquum librum vereor ne Tacitus prorsus non annuerit], weshalb der Verfasser sich auch hier wieder wie im Prooemium entschuldigt.«

excusatio contra Huebnerum facere mihi videtur. Nam si Tacitus laudationem scribere in animo habuisset eamque a lectoribus expectari sibi conscius fuisset, nonne hic si de aliqua re de eo se excusare debuit quod argumentum a proposito suo alienissimum tractaturus esset? Nec tamen aliud quidquam deprecatur quam ne quis verborum splendore suspicetur se eas Britanniae descriptiones superare velle quas priores composuerint. Itaque cum tantum absit ut quod Britanniae situs populique a libro suo abhorreant tangat quamvis leviter, ut scriptoribus se adnumerans res Britannicas cum fide tradere[23]) se posse praedicet, ne nobis quidem licere puto cap. illa »e studiis scriptoris importunius inserta« — id quod quin concedat Huebnero non recusat Urlichsius (p. 4) — totamque vitam oratorio, non historico genere perscriptam esse dicere. Sed ne hoc quidem Huebnerum fugit quod capitum proximorum viginti duorum expositio uberior ac plenior est quam quae laudationi conveniat[24]); quo magis miror eum levandae opinioni suae hac difficultate nullam operam dedisse. Continet autem maxima illa vitae pars et tota capita et singulos permultos sensus qui ab oratore non minus alieni sunt quam ad annorum ordinem quae facta est dispositio narrationis inde a cap. 20—29 maxime conspicua. Quod quia tota fere vita utique historiae videtur formam habere — nam ea argumenta quae e narratione petita Huebnerus in rem suam convertit levia esse docuit

23) Conf. e primo ultimoque capitibus ea quae sunt facta moresque posteris tradere, ad prodendam virtutis memoriam, vitam narrare, narraturo mihi vitam; Agricola posteritati narratus et traditus; tradere autem posteris et narrare historici est, non laudatoris, cuius est commendare aequalibus, augere, decorare. Quo eodem pertinet Lacberti annotatio ab Urlichsio postremo laudata, de qua cfr. etiam cap. 44 quodsi habitum quoque eius posteri noscere velint.

24) »Wie denn auch der eigentliche Kern der Biographie, ... (cap. 18—39) . . . . . ., nach Form und Umfang über die einer Rede gesteckte Grenze hinausgeht«.

Urlichsius p. 6, neque multis rhetoricis quae dicuntur figuris in »Agricola« extantibus efficitur orationem scribere voluisse Tacitum, qui fuerit »inter celeberrima ingenia fori« (cf. n. 11) —, quaerendum nobis est faciatne ipse Tacitus aliquam mentionem consili quod secutum eum esse Huebnerus contendit. Ac prooemium quidem, in quo potissimum putabis de proposito eum dixisse, non modo »nullum oratoriae laudationis vestigium exhibet«, sed inde a primo versu sic compositum mihi videtur ut Tacitum nonnisi de vita Agricolae ad rerum fidem scribenda cogitasse negari nequeat (cf. n. 23). An quid in laudationis exordio velint sibi et omnia illa de scriptis clarorum virorum vitis, de scriptorum variis fortunis, de temporum condicione et enuntiatum istud quo scriptor nova se parare volumina profitetur? Veniae autem qua sibi opus fuisse idem dicit explicatio Huebneri ita comparata est ut optime ex ea cognosci posse putem quantum offensionis tota V. Cl. opinio habeat. Nam ut praetermittam quod multae causae quibus ut peteret veniam Tacitum adductum finxerit parum inter se consentiant (aetas clarorum virorum suorum incuriosa; ignorantia recti et invidia — Agricola vir magnus ille quidem sed neque eminens gloria et permodestus — »vor einem in jeder Beziehung verwöhnten [per silentium venimus!] Publikum« — »weil er eine Lichtseite der Domitianischen Zeit darstellen will« — cet.), ut illud igitur praetermittam, »neque e moribus Romanorum ulla in funere defuncti ac propinqui hominis venia opus fuisset« et in scribendis illis » . . . . als Tac. jene berühmten Worte schrieb at nunc — opus fuit . . . ., so dachte er sich wohl noch in die Situation des Redners vor der Leiche, der mit dem naheliegendsten und beinahe unvermeidlichsten aller Gemeinplätze seinen von Kindespflicht diktirten Panegyrikus entschuldigt[25])« demonstrare omisit Huebnerus qua ratione talis cogitatio mira iam per

25) Talibus verbis et cum tali additamento »quam — tempora?« atque insuper etiam praeter ea quae cap. 3 extr. leguntur?

se ispa cum antecedentibus sententiis, quae ad vitas historico genere scriptas manifesto pertinent, conecti possit. — Atque cur noluisse statuamus »laudatorem eloquentissimum« missis ambagibus indicare consilium, quo declarato legentium animos certe adlecturus fuerit? De reliquis si quae ab Urlichsio exposita sunt legerit, nemo iam, puto, negabit posse quidem Tacitum in scribendo[26]) libro honori soceri destinato cum alia tum illud cogitasse operam suam laudationis funebris, quam habere sibi non licuerit, vice functuram esse, sed nequaquam propositum ei fuisse ut in formam laudationis eam redigeret. —

Caput I.

In **prooemio** constituendo Peerlkampius cum omnia »ad studium gravitatis, ordinis, elegantiae diligenter exigeret«, fieri non potuit quin iniuste permulta suspectaret. Ac primum quidem quod verba antiquitus usitatum delenda putavit, »quia antiqu. non modo usitat., sed frequentissime usit. mox ipse affirmat«, duplicem adverbi antiquitus vim neglexit, quod non solum antiquis temporibus (vor alters) sed persaepe etiam inde ab antiquis temporibus (von alters her) significare quodvis lexicon nos docet; illa autem significatione intellecta verba rectissime se habent. Nam alteri quod afferat argumento mihi quidem ut obtemperem non persuasit V. D., qui in longiore sua disputatione nescio cur Ciceronis illa Orat. 56, 189[27]) nihil curaverit: »versus saepe in oratione . . . .

26) Quod tempus certe tandem circumscripsit Mommsenus (Herm. III. 106 ann. 4, cf. Urlichs p. 7), cuius cum sententia praeter aliorum opinionem animi causa coniecturam Jani Pani (apud Peerlkamp. p. 202) contendas.

27) Vid. Nipperd. ad ann. 1 1, cui male obloqui Draegerum (§. 255) demonstravit Woelfflinus Philol. XXVI, 128—9.

constat oratio« sq.; etiam ipse p. 8 et 9[28]) se rem ad liquidum non perduxisse confitetur. Utique igitur ad suspectandum ea ratione abstinendum videtur.

quamquam incuriosa. Coniunctiones concessivae, de quibus praeter Boetticherum vid. Draeger. §. 201 et 215 in minoribus Taciti scriptis rarius inveniuntur quam expectaveris. Legimus

1) **quamquam** cum **indicativo**: Dial. 8, 24; Agr. 18, 35, 36; Germ. 5, 46; cum **coniunctivo**: Dial. 6, 15, 21, 26, 34; Agr. 3, 6, 13; Germ. 28, 29, 35, 38 (cf. Sueton. Caes. 3, 54, 69, 79, 81; Tib. 16; Cal. 12; Claud. 20; Ner. 22, 34; Galb. 14; Dom. 20; de gr. 10, 23); cum **participio**: Agr. 22, 33, 39, 44 (cf. hist. **1** 63, 64, **2** 15, **3** 82, **4** 74; annal. **4** 39, **16** 15; Suet. Caes. 11; Aug. 79; Tib. 7, 25; Cal. 16; Claud. 6; Galba 19; Dom. 17; de gr. 23. Nondum iungitur **ablativo absoluto**, ut h. **1** 83; ann. **3** 30 (cf. Suet. Caes. 1, 34, 70; Aug. 66, 97, 98; Claud. 46; Vesp. 2; Tit. 3; de gramm. 4 p. 259, 11 ed. Roth., 21); neque postponitur **participio** vel **adiectivo**, de qua re vid. Boettich. p 112); cum **adiectivo**: Agr. 1, 16, 33; Germ. 14 (cf. h. **2** 68; ann. **1** 76, **4** 15, **12** 20; Suet. Caes. 46; Aug. 8, 13, 25, 79; Tib. 3, 7, 11, 26, 71; Ner. 3; Tit. 7; Dom. 14; de gr. 23; Plin. ep. **9** 13, 4. Vid. nunc etiam Heraeum ad h. **3** 2, 18)[29]); cum **adverbiali** quod dicunt **additamento**: Germ. 4 (cf. ann. **1** 10; **4** 63; Suet. Aug. 27); in **apodosi**: Dial. 28, 33; Germ. 17 (18) (de hoc usu, ex cuius exemplis apud Tac. extantibus Draeger. §. 201 omisit ann. **12** 65 quamquam — abesse, vidend. Zumptius gramm. lat. §. 341 not. et Weissenbornius synt. lat. §. 221 n. 2, ubi locis e Cicerone laudatis addas orat. in Catil. **3** 12, 27; Lael. 10, 33; leg. 1 §. 5): **semel et tricies.**

2) **quamvis** cum **coniunctivo**: Dial. 2 (cf. Suet. Caes.

---

28) »Sed in tota praefatione . . . .« et »Sed, ut dixi, ...«

29) Cum **substantivo** legitur Suet. Aug. 10; Claud. 35; Ner. 20; Glb. 3, 4; **quamvis** Claud. 11; Oth. 2; **etsi** Ner. 33; **quantumvis** Claud. 10 (idem c. adiect. Cal. 53; c. adv. Claud. 21).

74; Aug. 41, 42, 52, 66, 72, 84, 91, 94, 101; Tib. 19, 24, 38, 61, 65, 68, 72; Cal. 4; Cld. 21, 24; Nero 7, (23), 24, 35; Oth. 1, 9; Vesp. 1, 20; Tit. 9; Dom. 18; gramm. 7, 24); cum ablat. absolut.: Germ. 28 (cf. h. 1 5; ann. 2 59. 15 5; Suet. Caes. 48; Claud. 20; Vit. 4); cum adiectivo: G. 24 *quamvis iuvenior* (cf. ann. 16 13, 16; Suet. Aug. 72. Non cum partic., ut ann. 1 33, 2 31, 86, 15 71, 16 22 (cf. Suet. Caes. 26, 70; Cal. 13; Claud. 27; Oth. 2; Vesp. 15; Liv. 2 39)); cum adverb. additam.: Dial. 25; Agr. 9 (Suet. Caes. 43). Adverbi vice (»noch so sehr«, vid. Zumpt. §. 574 n.) positum est Germ. 24 *quamvis audacis lasciviae* (cf. h. 1 16, 26, 2 59; ann. 1 39, 6 50, 15 24 (Nipperd.); Liv. 1 4, 2 39; Cicer. Tusc. 4 §. 57, 5 §. 46; Suet. Vesp. 5 *quamlibet magnum*): sexies.

3) etsi cum indicativo: Dial. 36 bis, 38; Agr. 5; Germ. 5 (Suet. Aug. 86; Claud. 11; Vesp. 1 — in parenthesi —); cum participio: Dial. 19 (vid. Nipperd. Mus. Rhen. 19, 103—104; ann. 6 29, 45; cum abl. absol. h. 2 73; saepe apud Livium. Cum adiect.: Suet. Tib. 33; Vesp. 22; cum adverbio: Suet. Cal. 12, 56; in apodosi: Suet. Caes. 82; Tib. 61; de gr. 7): sexies.

4) etiamsi cum indicativo: Dial. 23, 28; vid. Woelfflin. Philol. XXV, 109/10 (*etiam si*: Dial. 3; Agr. 31 (cf. ann. 16 16)): bis.

5) licet cum coniunct.: Dial. 9, 3; Agr. 32 (vid. Nipperd. l. l.: ann. 14 55. Postponitur a Suet. Vesp. 1): ter. —

Totum quod sequitur enuntiatum relativum *quotiens — invidiam* Peerlkampius tribuit glossatoribus. Sed et iis quae contra illa *vicit ac supergressa est et ignorantiam recti et invidiam* disputat Wexi minime refutat optimam interpretationem [30], nec aliis qui-

---

30) Quam quod Peerlkampius in primis editionis paginis plane neglexit eo magis miror, quo cautius ei in his vitanda fuit ignoratio recti. Nam eo quod verba Wexi (p. 166) in ipsum earum contrarium vertit (p. 3: »virtus vicit — sustulit«), dissimulavit illa

bus utitur argumentis sententiam suam confirmat. »Virtus tam rara postulabat, ni fallor, si quando. Restringe significationem adverbii quoties, semper maiorem numerum indicat[31]) quam in tempora praesertim Neronis et Domitiani cadit« — at »quotiens«, quod item extat cap. 30; G. 15; Dial. 23 bis (cf. Draeger. §. 165), per se nullum, nec parvum nec magnum numerum indicat, qui ubique e toto sensu colligendus est, neque, ut Kritzius vult, ipsum habet »restringendi ac deminuendi potestatem«; hoc autem loco nescio an acerbum illud sententiae quod particulis »si quando« (Dial. 10, 29; G. 16) ad verbum expressum esset maiore vi intellegatur quam declaretur. Quid quod ne restrinxisse quidem omnino Peerlkampium significationem adverbi »quoties« apparet e sequentibus eius verbis »neque maiorem — properabat«, quibus miro modo quas Tacitus distinxit aetates commiscet. Jam »ad utramque aetatem, libertatis et principatus, verba [quotiens — invidiam], ut leguntur, referri non possunt«; sed ne debent quidem, quia tota prima prooemi sententia hoc tantum enuntiatur: Clarorum virorum vitas scribere omnibus temporibus usitatum fuit, sed nostris rarius nec nisi in hominibus magna ac nobili virtute conspicuis. — Porro Peerlkampius offendit in verbis vitium — commune. Atque quod annotavit »ego primum non video, quid totum illud de vitio ad sententiam loci faciat« et »ista nihil significant, nisi ut doceatur, quod omnes norant, nec ad locum pertinebat,« optimo iure eum fecisse puto, cum mentio civitatum diversarum in aetatum istam unius et eiusdem civitatis comparationem minime convenire mihi videatur. Quare iudicanti illi haec verba ut tumida et puerili doctrinae ostentationi similia librario

quidem, sed non refellit. — Neque Rittero edit. a. 1852 de discrimine quod inter voces ignorantiae et ignorationis intercedat disputanti (cfr. Schultz, Lat. Syn. 131, n. 198) assentiri continuo inducere animum potui, cum ea quae Woelfflinus Philol. XXV, 108 de verbis eligendi et deligendi exponit recordarer.

31) Similiter 17 ed. p.: »Facere non possumus quin cet.«

potius quam Tacito tribuenda esse prorsus assentiri non dubitarem, nisi saepius illum ad oratoria dictionis ornamenta nimis inclinasse constaret, quod quidem in prooemio maxime non licet nobis omittere. At »quis sub Domitiano invideret virtuti, quam sciret esse letalem?« Nonne ipse statim princeps virtutibus infensus? et pessimi libertorum qua erant malignitate et livore invidentes »cum ipsi honestati tum aliquanto magis gloriae eius praedicationique ipsumque florem dignitatis infringere« studentes? Ac ne spectant quidem illa verba tam ad invidiam quam ad recti ignorantiam, de qua bene contulit Wexius scitum illud Joannis a Mueller [32]. Tum »de factis et moribus vivi nec mortui quisquam scribere sustinuit«; quasi vero non laudaret ipse Tacitus in altero cap. duos viros; alios congessit Walchius. Sequentia autem »Considera porro — Agricola venit« quid ad rem faciant fateor me non intellegere. Coniectura denique Peerlk. de origine »glossae« cum glossam ad glossam statuat, ne speciem quidem probabilitatis habet. Victam vero ac superatam esse ignorantiam recti et invidiam virtute Agricolae, »i. e. ita eum excelluisse, ut ad observantiam et caritatem quasi cogeret incuriosos et invidos civium animos« (Hoegg. p. 11 coll. p. 15), ex eo manifestum est quod mortuo eo »vulgus quoque et hic aliud agens populus et ventitavere ad domum et per fora ac circulos locuti sunt, nec quisquam audita morte Agricolae aut laetatus est aut statim oblitus«; quare Tacito sperare licuit fore ut probaretur liber suus, quo quantum ad Agricolam incuria aetatis plane devicta est illiusque felicitati supremus cumulus accessit«. Quodsi interpretes toti de enuntiato illo relativo Peerlk. sententiae accedere recte nolebant, id tamen concedere ei debebant, ut additamentum illud vitium — commune sive a librario quodam sive a Tacito male esse insertum dicerent probarentque. —

32) »In entnervten Zeitaltern zeigt sich ein Ungefallen an grössere Naturen und bei der Unfähigkeit sich gleich hoch zu erheben die niedrige Bemühung sie herab zu ziehen.«

agere digna — erat. Eam metaphorae convenientiam quam Peerlkampius poscat a Tacito saepe neglectam esse multis exemplis demonstratur: Germ. 1 molli et clementer edito montis iugo; an. 2 87 angusta et lubrica oratio; al. sunt ap. Spittam p. 80 sq. Jam mira mihi videntur quae de adverbio magis »semel posito bis cogitando« ille explicavit; quibus, si scripsisset Tacitus magis in aperto pronumque, nollem vehementer contradicere, sed hoc quem legamus verborum ordine prosa certe oratione illud magis semel cogitando addi posse prorsus nego[33]), locos quibus contrarium convincatur avide expectans. Nam Sallusti verbis (Iug. 83), etiam si vera sunt sicut a Peerlkampio laudantur[34]), interpretatio illa non confirmatur, quoniam adverbium partim eam habet significationem ut ipsum indicet esse se cogitatione repetendum. In eundem errorem incidit V. D. p. 11: »Tum pop. Rom. — quod usui non repugnat« et p. 18: »Repete, si velis, e. q. s.« Cur denique p. 20 memoratu digna scripserit non intellego; eum quem codd. exhibent ordinem invenias etiam h. 2 24: crebra magis quam digna memoratu proelia et Dial. 20: referre domum aliquid inlustre et dignum memoria volunt.

ad prodendam virtutis memoriam e. q. s. Non erat cur Peerlk. vocem virtutis quater positam suspectaret, cum unoquoque loco et mutato casu numeroque et aliis vocabulis iuncta iteretur atque notio ea argumento capitis saepius postuletur; potuit quidem hic omitti, verum a glossatore, quem eorum genetivum interiecturum fuisse dixerim, additam eam esse non est verisimile. — In explicandis iis quae sunt sine gratia aut ambi-

---

33) Kritzius minus accurate: » . . . . neque ex magisque huc trahendum . . . .« pro »trahi potest.« Ceterum etiam Hoeggius et Gutmannus converterunt: »geneigter und weniger gehemmt« et »mehr Antrieb und offeneres Feld.«

34) Jakobsius et Dietschius habent: »ille probare partim, alia abnuere«.

tione interpretes in duas sententias discedunt. Ac plerique (Buchnerus, Walchius, Dronkius, Gutmann., Roth., Wex., Draeger.) gratia illud significare dicunt »Vorliebe« (»Voreingenommenheit«, »Parteilichkeit«), Hoeggius et Kritzius aliique id interpretantur »favoris aut benevolentiae captandae studium« (nullo gratiae apud alios ineundae studio«). Mihi quia illa verba nihil aliud valere quam celeberr. qu. ing. ad prod. v. mem. non gratia aut ambitione, sed bonae tantum consc. pretio ducebatur duaeque notiones gratiae et ambitionis ad voces pretio ducebatur referendae videntur[35]), rectiorem arbitror posteriorem interpretationem, quae priore accuratius sequatur enuntiationis sensum etiam a Peerlkampio sic expressum: »Nullo incitamento opus erat, ut proderent cet.«. Jam cum totum enuntiatum non tam ad laudem prioris aevi quam ad vituperationem praesentis aetatis spectare scite Wexius annotaverit, fortasse dubitarim an non satis digna dictu fuerit reprehensio eius quae »plusculum etiam quam concedat veritas largiatur« gratiae (v. Wex. ed. min. p. 20), quippe qua ne ipsum quidem Tacitum in Agricolae vita narranda ubique abstinuisse demonstraverit nuper Urlichsius[36]), multoque et significantius et gravius existimo assentandi libidinem temporibus illis obiurgare, id quod aptissime, i. e. maiore quidem vi sed ita ut virtutes prioris aetatis ne videantur quidem minui, fieri concedes per duos ablativos gratia et ambitione. Horum alterum ne pro studio gratiae esse di-

---

35) Cfr. haec Hoeggi (p. 15): »Gratia passive hoc loco positum esse ex verbis nullo alio pretio ducebantur intelligitur.« Iam ut clarius quid velim appareat, ceterorum opinioni assentirer, si aut legeremus s. gr. aut amb. prodebant aut verba illa cum antecedentibus ad prod. v. mem. iungi possent. Wexius autem cum ad confirmandam interpretationem suam notiones gratiae et ambitionis inter se contrarias esse exponeret (cf. Walchi »Gegen diese schlechte Ehrsucht bildet gratia, Vorliebe, Freundschaft den logischen Gegensatz«), particulae aut negationem sequenti nimiam vim disiungendi tribuit.

36) Commentat. p. 13: »Neque vero dissimulandum est c. q. s.«

cas, consideres velim nostro moris esse ut ablativos exterioris et interioris quam dicunt causae coniungat, cuius rei apud Rothium exc. 14 haec habemus exempla: Tac. ann. 1 8, 4 62; h. 2 49; Liv. 25 24, quibus ex »Agricola« addas etiam c. 38 gaudio praedaque (coll. h. 1 63). Alterius significationem ab Hoeggio minus arte quam a Kritzio ita definitam comprobabis: »Ambitio h. l. est gratiae humiliter vel per malas artes sibi conciliandae cupiditas« (vid. Nipperd. ad ann. 4 64).

plerique suam ipsi vitam... De vi vocis plerique videndae missis Peerlkampi ambagibus annotationes Walchi, Rothi, Kritzi ad h. l., Hessi ad Dial. 2, Nipperdeyi ad ann. 3 1 et Mus. Rhen. 19, p. 102 (18, p. 345) coll. iis quae Woelfflinus Philol. 25, 111 de illis complures, plures, nonnulli exposuit. Totius etiam comprehensionis interpretatio quam Peerlkampius proponit angustior est quam a qua verba Taciti defendenda existimem; simplex verborum sensus hic est: »Ac permulti suam ipsi vitam narraverunt, fiducia morum, non arrogantia se hoc facere sibi conscii, v. c. Rutilius et Scaurus, quibus id non citra fidem aut obtrectationi fuit«, tritaque ratione binae sententiae in unam contractae sunt. — Illius ipsi similius nihil novi quam quod e Livio 26 29 affert Zumpt §. 710: circumibant senatum.... affirmantes se non modo suam quisque patriam sed totam Siciliam relicturos (aliter idem 2 44 suis ipsam viribus dissolvi), qualia eo excusanda conicio quod iuncturae pronominum suum ipse[37]) et suum quisque frequentissimo usu auribus commendatae certae tamquam formulae naturam induerint, quae etiam mutata constructione grammatica conservetur. Quod in pronomine ipse eo facilius fieri potuit, quia iam in simplicibus sententiis saepe Latini rectum eius casum posuerunt ubi oppositionis ratione unus ex obliquis poscebatur (vid. Zumpt §. 696 extr.). Retinentur autem nominativi

37) Exempla vide apud Draeger. §. 13 et Zumpt. §. 696 ann.!

illi etiam in aliis duabus verborum constructionibus et ipse quidem ita quoque ut sola collocatione insignitum nec ad possessivum nec ad personale quod dicunt pronomen se applicet, quod intellegas ex locis ab interpretibus hic congestis, quos collatis aliis sic velim discernere:

a) **quisque** pronomen in constructione **ablativi absoluti** si ipsum subiectum est, **ablativo** ponitur: Liv. **21** 33, 5 sibi quoque tendente; si attributum subiecto vel secundarii vel primarii enuntiati, **nominativo**: Sall. Iug. **18** 3; Iustin. **29** 1. Liv. **21** 45, 9 = cuique (Zumpt §. 710). Perinde ipse nominativum abl. absol. appositum invenimus Tac. G. 37 amisso et ipse Pacoro (ipsi); Liv. **4** 44 causa ipse pro se dicta . . . . . XV millibus aeris damnatur (ipsi = ab ipso); Curt. **3** 8, 24 tunc consistere e. q. s. (= ab ipso); Sall. Cat. **18** 5 ipsi fascibus correptis (ab ipsis). Vid. Kritz. ad Agric. c. 25 p. 98; ubi cum etiam ann. **14** 26 praemisso cum auxiliis Verulano legato atque ipse legionibus citis conferat, male, puto, neglegit Nipperdeyi interpretationem, qua probata verba illa luculentum exemplum eius structurae esse dices de qua est Draegeri[38]) §. 237 2). — Jam in universum notandum est casum nominativum subiecti saepe inter ablativos absolutos collocari, ut Nep. Paus. **5** his rebus ephori cognitis satius putaverunt; Iustin. **1** 34 quo ille audito; Sall. l. l. Cum hoc Catilina et Autronius . . . . .

38) Is quoque, ut nunc video, Nipperdeyo assentitur §. 224. Ubi quod in explicando l. Germ. c. 37 contra Halmium et Rothium ea quae sunt amisso et ipse Pacoro etiam cum participio deiectus coniunxit (annon licet colligere id ex eo quod una cum subst. oriens pro verbo obiecerit haec infra Vent. dei. exscripsit nulla addita interpunctione?), recte mirari eum fecisse arbitror. Nam cum illa verba, quamvis rerum contextu cum sequentibus infra V. dei. arte cohaereant, oratoria tamen sententiarum oppositione ad ea quae antecedunt eandem Crassi spectent, ad nudum oriens ita referenda mihi videntur ut illud et ipse pro et ipsi, sc. orienti caelo Cr. glorianti (s. Cr. obiicienti) positum interpretemur.

consilio communicato parabant; huc etiam Agr. c. 25 verba diviso et ipse in tres partes exercitu incessit referenda puto, cum illud et ipse neque ad verbum incessit neque ad abl. abs. sed ad copulatum ablativis verbum pertineat.

b) Alterum liberioris huius structurae genus id est quo pronomina illa ut aliis locis (Tac. h. 2 44 suum quisque flagitium aliis obiectantes) cum participio ita cum ablativo gerundi coniunguntur: Liv. 2 38 instigandoque suos quisque populos effecere ut; 4 31 tendendo ad sua quisque consilia. 24 4 deponendoque tutelam ipse . . . . convertit; Cic. p. domo 55 140 identidem se ipse revocando. —

nec id Rutilio et Scauro. De coniunctione nec vid. Spitta p. 122 (coll. Dial. c. 21 nec unum de populo et 37 nec quisquam claram cet.). Apud eundem p. 139 — 141 (cf. Draeger. §. 107) extat de »usu particularum copulativarum in sententiis negativis« disputatio, cui e scr. min. quae addam exempla haec habeo (sequor autem eundem quem Spitta expressit ordinem generum, quorum prima duo — tractantur p. 140 — in unum fere coëunt):

1) et particula extat Dial. 5 non lorica et gladius, 11 aera et imagines, 20 caem. et tegulis, 31 Epicuri et Metr., 41 non imper. et multi; Agr. 1, 5 tit. trib. et inscit., 12 occid. et exsurgere, 25 num. et peritia, 46 mat. et artem; Germ. 19, 26 ubert. et amplit., conserant et . . . . .; Dial. 10 opinio et fama, 13 maest. et atrox, 16 inaud. et indef., 22 tarda et inerti, uno et eodem, 30 vis et facultas, ang. et brev., 31 ling. et vocem, 34 advers. et aemuli, 37 clar. et inlustr., 40 otiosa et quieta, 41 laus et gloria, mod. et temper.; Agr. 5 volupt. et comm., 16 ira et victoria, 40 celebr. et frequentia; Germ. 2 advent. et hosp., 16 conex. et cohaer., 25 discipl. et severit. — Dial. 9 cert. et solidam, 13 fortuna vat. et illud, 17 et

antiquos, 37 inertes et, 40 quieta et quae; Agr. 16 et ut suae, 32 et fulgor, 41 et ripa. — Dial. 7 non solum apud negotiosos et rebus intentos, 14, 32, 33, 37; »contra aut«: Dial. 10. — Agr. 45. — **non** . . . . . **et** — **aut**: Dial. 11 comit. et egress. aut frequ.; Agr. 1 „Rutil. et Sc. . . . . fid. aut obtr. — Antecedit ne coniunctio (excepta illa particula aut uno Dial. c. 37) Dial. 17, 37; A. 16, 25, 32, 40; **ne** — **quidem** Dial. 10, 13, 31 (aut: D. 40; A. 9; G. 5, 16).

2) **que** legitur Agr. 19 servosque, 45 complexu que; Germ. 4 aestumque, 18 extraque, 46 imbriumque; Agr. 5 magisque; Germ. 33 telisque. — Dial. 13 famamque (coll. ann. 2 33 et — que). Dial. 28 curasque; nusquam ve. — **Ne** nonnisi Germ. 18 (coll. Liv. **21** 63, 8) antecedit (ve nullo loco excepta).

3) **ac** negationem sequitur Dial. 12 ac lacrimas; Agr. 3 ac testimonium, 29, 32 atque argenti; Dial. 17 ac veteres; A. 44 ac spiramenta. — Dial. 22 non tantum . . . . . imbrem ac ventum, 24 ac spiritu; Agr. 3 ac votum. — Dial. 5 atque omn. gent.; Agr. 22. — **Ne** — quidem . . . . **ac** — **aut**: Dial. 40 ac Persar. aut ullius gentis.

Aliis locis negatio non refertur ad vocabula (plerumque adiectiva) particulis copul. coniuncta, ut D. 10 immanes et, ac subitae, 13 insanum et lubr., 20 trist. et imp.; Agr. 3 incondita ac rudi; G. 14 vocare et mereri; et interdum nonnisi ad unam vocem totius sententiae pertinet: Dial. 22 non satis expol. et splend.; Agr. 33 nec inglorium . . . .; Germ. 5 haud perinde, 30 non ita, 37 nec impune; ita per litoten ad verbum D. 15 non desinis . . . . . — Quod denique Spitta postremo (p. 142) scribit »numquam apud Tacitum et — et negationem sequitur quod num omnino latine dicatur valde dubium est«, obicio ei hos Dial. locos: cap. 5 quis enim nescit neminem mihi coniunctiorem esse et usu amicitiae et assiduitate contubernii, cap. 34 quominus et iudex respuat et adversarius exprobret,

quibuscum contendas D. 41 nemo eodem tempore adsequi potest magnam famam et magnam quietem et Agr. 35 ne in frontem simul et latera suorum pugnaretur, ubi quin alterum et addatur leges linguae minime obstant; atque cur non tale quid liceat dicere: nunquam me usus est et praeceptore et amico (sed semper praeceptor tantum eius fui), quod sensu plane differt ab hoc: nunq. me usus est aut pr. aut am.? — Cfr. ea quae de partic. disiunctivis ad cap. 10 annotabo. —

adeo virtutes ..... Peerlkampi de hac sententia dubitationem eo puto refelli quod significare verba ea perspicuum est: virtutes eo (tum) melius aestimantur quo (cum) facilius gignuntur; qua in re Tac. si praeterita tempora praesentibus magis laudanda censet, ut ab illo refutari possit, nequaquam ex eo sequitur de glossa hic cogitandum esse. — Partic. adeo legitur etiam Dial. c. 21, 23, 26.

Jam pervenimus ad difficillima verba totius prooemi: **at nunc narraturo mihi — tempora**, quorum explicationem ut tandem aliquando ad liquidum perducerent multi multa congesserunt. Sed omissis priorum coniecturis, quarum potissimas scite refutatas legas apud Hoeggium p. 5—10, solas eas interpretationes expendamus quae lectionem codd. Vatican. sequuntur. Quarum duae maxime quas respiciamus dignae videntur [39]. Atque Hoeggius qui-

---

39) Eam quae commixtis duabus illis sub Domitiani imperio ab aequalibus virtutis incuriosis Tacito veniam petendam fuisse statuit, prolatam illam a Capellmannio, Ztschr. f. oesterr. Gymnasialwes. 1858, p. 808—812 (Philol. **14**, 451), commemorasse satis fuerit. Alias proposuerunt Rothius (in edit.): »Er bittet um Nachsicht, weil es eine stillere [minus clara] Grösse ist, die er schildern will,« qua ratione intellecta verba illa neque iis quae antecedunt recte opponuntur neque cum professione pietatis congruere aut ex sententia ipsius Taciti — cf. cap. 42 extr. et cap. 1 clarorum virorum — videntur esse; et Passovius (Beckerus): Tacitus scribendi suae facultati tanto viro non satis dignae veniam petit — quae excusatio at coniunctioni minus etiam conveniens

dem Ritterusque (ed. a. 1852) veniam illam a Domitiano petendam fuisse censuerunt, interpres quidam in Ephem. Lit. Halens. a. 1828 (Hoegg. p. 5 et 10 dissertationis, quam »habuit« quidem Wexius, sed adhibuisse non videtur), et cum eo Halmius, Wexius, Kritzius, Urlichsius, Draegerus Tacitum apud aequales virtutis incuriosos excusare libri argumentum exposuerunt, ita illi quidem ut variis rursus rationibus inter se dissentiant. Sed etiam his interpretationibus insunt adhuc haud parvae difficultates, quas cum tot tamque idonei patroni funditus tollere non potuerint, sperare paene desinas fore unquam ut inveniatur probanda omnibus explicatio. Hoeggio quidem cum nunc non de ipso eo tempore quo libellus editus sit, sed sensu latiore de iis temporibus in quae inciderit Taciti aetas accipiendum »nostris temporibus« (Ritterus: »n. diebus«) et »vivo Domitiano« significare dicat, assentiri nullo modo licet. Quamquam enim adverbium illud etiam praeteritum proxime tempus nonnunquam complectitur (cf. Dial. 29, 35 in. at nunc), tamen ita ut solum hoc significet oppositum etiam ipsi praesenti tempori usurpari prorsus non potest, praesertim si aut ad verba quibus additur recte intellegenda certo nobis opus est temporis indicio aut ipsum paullo post propria sua vi iteratur (quod utrumque hic fieri concedes), vel, ne longior sim, nunc nulla ratione pro eo quod est nuper poni potest; et cur hoc ipsum a Tacito spretum putemus (cfr. c. 39, 2)? Tum nequiquam illos participium defunctus interpretari »statim post eius mortem« e Wexi simili explicatione discas. Cum altera autem interpretatione minime convenire videntur praeterita fuit et petissem, quae alius aliter, nemo ita ut ex omni parte nobis satisfaciat, explicavit. Probabilius vero ceteris[41]) dicendum

---

cum toti capiti tertio tum verbis quae sunt vel incondita ac rudi voce seq. putidius addita videretur.

40) Draegerus eum quem in epistolis Latini secuti sunt scribendi morem quamquam a Wexio scite reiectum denuo intulit.

sane id quod Kritzius proposuit: »Perfecto utitur Tacitus .... ad consilium excusandum [adde: quod quale esset titulo libri indicatum erat]. Venia igitur .... tempora«. Quam sententiam ab Urlichsio non refutatam puto. Qui cum relicuae Kritzi interpretationi contra Wexium recte assensus de verbo fuit scribat: »venia opus fuit kann nur heissen: ich habe die Nachsicht oder Entschuldigung nöthig gehabt. Tac. hat sie aber noch nöthig; denn er sucht sie ja, wie der Gegensatz quam non petissem zeigt, eben jetzt erst nach«, non possum non mirari quod plusquamperfectum petissem idem plane valere statuit quod imperfectum peterem, qua opinione improbata ne fuerit quidem emendatione loco obscuro lucem allatam dices. Non magis deleto fuit rem expedivit Wexius, cuius explicatio verbi petissem, audacior etiam quam ingeniosa eius de intellegendo fuit coniectura, tantummodo in orationem vehementer commotam quadraret. Jam utrique interpretationi obstant leviores quaedam dubitationes, quae ut clarius appareant totius prooemi adscribo argumentum (quod nonnunquam interpretis vice fungi posse iudicavit ipse summus F. A. Wolfius in egregia praefatione ad eum librum quo »collaborator« etiamtum paedagogi Ilfeldensis amplissimorum operum seriem auspicatus est[41]):

»Clarorum virorum vitas scribendi morem antiquum etiam nostra aetas quamquam incuriosa suorum in hominibus virtute praestantissimis persecuta est. Sed apud priores saepissime et a celeberrimis ingenio prodebatur virtutis memoria; quin etiam suam ipsos vitam scribere viros clarissimos probabant: tanti tum virtutes aestimabantur. At nunc — tempora. Domitiano imperante auctores morte multati, libri combusti, expulsi sapientiae pro-

---

At non scripsit epistolam Tacitus, nec ex alio orationis genere ad aliud certum quendam dicendi usum transferre licet.

41) Edit. convivi Platonici, Lips. a. 1782, p. XXI: »ein genau und von Abschnitt zu Abschnitt entworfnes Argument vertritt nicht selten die Stelle eines Kommentars.«

fessores, omnibus denique nobis summum silentium, pars foedissimae servitutis, impositum est. Nunc demum, dum ab optimo principe in dies augetur et securitas publica et singulorum felicitas, redire incipit nobis animus et quidem lente; nam tardiora sunt remedia quam mala nec revocantur facile oppressa ingenia studiaque. Atque promptissimis saevitia Domitiani interceptis ne nos quidem nisi »hebetatis in posterum ingeniis« e silentio diuturno prodiimus. Non tamen pigebit vel incondita ac rudi voce historiam nostrorum temporum scripsisse; interim Agricolae haec vita professione pietatis certe excusata erit«.

Huic sententiarum ordini[42]) ea quae sunt at nunc — tempora sive ex Hoeggi sive e Kritzi voluntate explicantur apte se non inserunt nisi tali fere modo et mutata et suppleta: »Clarorum virorum — aestimabantur. At nuper [ne tuto quidem scribere potuimus et] narraturo m. vit. def. hom. ven. op. fuit, quam non petivi incus. tam s. et inf. virt. tempora [»ut fuisse ea ex sequentibus apparet«]. Domitiano imperante — excusatus erit.« et »Clarorum virorum — aestimabantur. At nunc narraturo m. vit. def. hom. venia opus est (ab initio statim v. op. fuit), quam non peterem (petissem) incus. tam s. et inf. virt. tempora [ut fuisse ea e quibus residet in nobis virtutis ista incuria ex sequentibus apparet]. Domitiano — erit«. Non temere igitur posteriori interpretationi exprobravit Hoeggius (p. 10. 12): »Refragatur huic explicationi vel sola temporum saevorum commemoratio« et

42) Is cum in enarranda per diversas aetates quae fuerit vitarum scriptorum condicione versetur, verba quae sunt non tamen . . . . . . composuisse quodammodo praeter opinionem dicta sunt. Quamvis enim Tacitus iam ab altero cap. med. generatim magis disputare coepisset, non tamen attinuit his praedicare eum »nihilominus historias sum editurus«, sed »nih. hanc Agric. vitam scripsi.« Quare expectaveris: Tamen hunc librum scripsi, qui . . . . Neque pigebit . . . . . . componere. Sed vid. quae p. 33 de hoc sensu exponentur et e p. 4. Hoeggi de quadam cohortatione aequalium coniecturam.

»deinde, si veniam re vera petitam esse posueris, quo sint ea, quae capite secundo continentur, referenda, dubius haerebis«[43]. Sed ut in hac ratione a verbis illis ad ea quae sequuntur minus facile fit transitus, ita in Hoeggiana parum ea concinere senties cum primi capitis summa, quae ad aestimationem virtutum optimam olim, istis temporibus fere nullam spectat, neque cur coni. plusqu. petissem indic. perf. petivi Tac. praetulerit satis liquet. Atque, quod maius est, graviore sua offensione Hoeggi interpretatio nisi delendi nunc ratione audaciore (iniit eam Spengelius) levari non potest, Kritzi quae praeterita fuit et petisset probabiliter explicet magis magisque videtur mihi idonea esse. Nam eam quam verbis venia opus fuit addendam fuisse indicavi supra notionem haud scio an recte conicias eo a scriptore brevitatis studiosissimo expressam esse quod pro narranti posuerit narraturo. Itaque sic denique verba illa exponenda puto: »At nunc in exordio statim libri de vita defuncti hominis edendi (non propter confecti libri aut singula vitia aut totam narrandi rationem) veniam petere mihi opus fuit, quam non petissem e. q. s.«, ut tali ordine excipere se existimem prooemi sententias: »Is qui antiquum morem secuturus vitam clari cuiusdam viri scribere in animo habet, cum **olim** ab omnibus probatus sit, **nostris temporibus** communi virtutis incuria impeditur, profecta illa ex atroci quam tam diu **nuper** perpessi sumus crudelissimi principis dominatione. Quam etsi ipsam **nunc** non iam est quod timeat, tamen sub alterum rursus eiusdem causae eventum, ipsius sui ingeni languorem atque inertiam,

---

43) Alia quae affert: »Quo tandem vinculo ista excusatio cum antecedentibus connexa est?« et »si iis, quae opposita sunt, nihil aliud contineretur, quam . . . . argumenti excusatio, mera verba praefatus esse videretur vitae auctor« (cfr. Wexi »at ita omnis orationi deest nervus«) refutare non iam opus est. Non magis suam ille sententiam confirmat eo quod verba . . . . . si tam in . . . . . redit animus confert, quippe quae cap. 2 argumento optime adiungantur.

subiectus est. Attamen temporum nostrorum memoriam compositurus (sum et) interim vitam Agricolae soceri mei descripsi.« In qua expositione qui negat acquiescendum esse, meliorem proferre ne cunctetur.

Caput II.

Legimus ad acta diurna spectare nunc fere omnes[44]) interpretes dicunt, negat Peerlkampius. Qui cum comparatis temporibus Robespieri atque »Monitore Franco« [45]) affirmet: »Jam nec Romanus nec Francus historicus, nisi omni elegantiae sensu destitutus, testimonium huiusmodi libellorum adhibet nisi in dissensu, c. q. s.«, nescio cur Kritzi explicationem prorsus neglexerit; neque de Domitiani ingenio quam fecit coniecturam certam satis talemve dices ut ea refutentur quae de causa cur legimus scripserit Tacitus a Wexio exposita sunt. Omnino vero Peerlkampium iterum ad Hoeggium puto delegandum esse, qui p. 16 contra Heldi suspiciones haec disputat: » . . . . . nec, si cui non satis liquet, qua id ratione fieri potuerit, ob eam rem continuo de proba scripturae conditione dubitandum, aut lectio ut inepta et bono scriptore indigna reiicienda est.«

neque . . . . modo, sed . . . . quoque. Haec unus Wexius maiore interpunctione ab iis quae antecedunt distinxit, cui cur accedam non intellego. De particularum ea iunctura cum quantum ad scr. min. Draegerus §. 128 et Woelfflinus Philol. XXV, p. 110. 125 (coll. Spitta p. 106/7) minus accurate rettulerint, varias eius formas hic adscribam:

non solum; tantum; modo — sed etiam legitur Dial. 7, 20, 21, 24 (Suet. Caes. 45; Cal. 29; Dom. 11; de gr.

44) Etiam Rothius in adnot. ad conversum »Agricolam« ingeniosam quam in edit. protulerat sententiam abiecit.

45) Eum dicit qui usque ad primum nostri anni mensem i. e. antequam Aemilius Ollivierus edicta sua speciosa proderet legebatur.

8); Dial. 14, 22, Agr. 45 (Suet. Aug. 4, 7; Tib. 72); Dial. 28, 32, Agr. 3, Germ. 45 (Suet. Aug. 10; Tib. 12, 61; Ner. 22, 40; Galb. 12; Otho 3; Vit. 2, 15; Vesp. 4; Dom. 9; de gr. 9); **non solum; modo — sed quoque** Dial. 10 nec, G. 13 nec; D. 2 non, 37 non, A. 2 neque, Suet. Tib. 63, Vit. 13 (**non unum, sed** quoque D. 18; **non tantum,** sed quoque Suet. Aug. 33, 66); **non tantum; modo — sed et** Germ. 35 (Suet. Aug. 89 nec; Cal. 47); 15 (Suet. Caes. 14, 68, 76, 88; Aug. 33, 38, 45, 50 nec, 60, 70, 93; Tib. 44; Cal. 42 nec; Claud. 21, 27, 28; Ner. 5, 10, 32; Galb. 14; Tit. 8; Dom. 4 nec; de gr. 3 extr.; non solum — sed et Suet. Aug. 57; Tib. 8, 23; Cal. 24 nec; Claud. 15; Ner. 6; Tit. 9; de gr. 17); **non solum; tantum; modo — sed** Dial. 16, 22; D. 33 neque (Suet. Caes. 60); Agr. 3 nec (Suet. Aug. 43, 88; Claud. 16; Gal. 22; Tit. 7 n. m. — s. omnino); denique **non solum — etiam** Germ. 10 e coniectura Spittae p. 107 not. Suetonius etiam particula **verum** cum alibi persaepe tum h. l. ita usus est: **non modo — verum** et Aug. 94; Ner. 38; Dom. 4; **non solum, verum etiam** Claud. 17; Vit. 15 nec; Vit. 5 (et). — Coniunctionem n e q u e in scr. min. multo rarius legi quam n e c recte notavit Spitta p. 119 extr.; nam exceptis iis locis ubi in responsione (etiam cum voculis quae sunt **et, ac, non**) aut iuxta alias coniunctiones (enim, tamen) positae sunt[46]) **neque** octies tantum invenitur: Dial. 8, 10, 20, 30 bis; Agric. 2, 5, 38; nusquam in Germ., **nec** plus octogies extat.

Jam omnia ea quae inde a d e l e g a t o t r i u m v i r i s m i n i s t e r i o usque ad verbum a r b i t r a b a t u r sequuntur Peerlkampius delenda censet. At mentio triumvirorum quia supervacanea, ideo non falsa aut molesta est, quoniam posito ita ut est abl. absol. facillime oratio procedit, et ne inutilis quidem, si consilium quo addiderit eam scriptor quaerendum videtur; nec enim suspicari iam licet nobis minus ignominioso asperove modo libros suppressos esse. Hos cur appellaverit Tacitus m o n u m e n t a c l a r i s-

46) Vid. quae annotabo ad capita 16 et 29.

simorum ingeniorum Peerlkampius optime explicat[47]; quare ut verba illa, id quod iure expectaveris, in gratiam recipiat tantum abest ut novam eamque miram addat vituperationem, quam eo refelli existimo quod alterum caput non ad universam Domitiani saevitiam sed atrocem eius in clarissima ingenia omnesque bonas artes crudelitatem illustrandam compositum est. — Pluris facienda sunt quae ille contra verba **in comitio ac foro** argumentatur, quibus non habeo quid respondeam. Nam ea ratio qua Woelfflinus Philol. XXVI, 137 excusare studet lectionem codicum ad tollendam Peerlkampi dubitationem, quam iustam esse ipse ille agnoscit, non sufficere mihi videtur, quia cum alia quae affert exempla nostri non satis similia sunt tum Plini illud »colitur ficus arbor in foro ipso ac comitio Romae nata« ipsum eum quem flagitat Peerlkamp. verborum ordinem exhibet[48]; neque ut sine ulla cautione nec quidquam nisi verbis sententiam ornare curantem iunxisse Tacitum illos ablativos statuam adduci possum. Minus etiam probanda est via quam Rothius ingressus convertit: »auf dem Platze für die Wahlhandlungen auf dem Forum«. Itaque aut commutanda duo nomina aut delendas voces **ac foro** (sic Gutmannus in translatione enuntiati) arbitror, priorem emendationem ut ubertati totius loci magis accommodatam praeferens.

Scilicet .... Ea coniunctione Tacitus in hoc libro tribus locis utitur: c. 2, 4, 12; nusquam in Dial. aut Germ. (cf. Suet. Tib. 22; Ner. 39, 40; Vesp. 2, 7; de gr. 1, 4); perinde excepto uno et Dial (c. 19) et Germ. (c. 37) loco particulae **namque** et **quippe** in »Agricola« modo (c. 4, 11, 15, 19, 21, 23; 3, 7, 41) extant (cf. Suet. Aug. 3, 27, 93; Tib. 12, 62; Cal. 14; Ner. 7; Galb. 5;

---

47) »Significat, magnopere dolendum . . . . . . perire.« Quae dolendi vis nescio an etiam passiva forma **urerentur** eadem numerosiore expressa sit.

48) Idem qui hic, verum in diversa plane sententia, extat apud Sueton. Caes. 10: **Aedilis praeter comitium ac forum basilicasque etiam Capitolium ornavit porticibus.**

Oth. 1; Vit. 10; de gr. 4, 9, 17; Tib. 69, Oth. 9, de rhet. 1). Tritae rursus coniunctiones causales **nam** et **enim** rarius in nostro libello quam in aliis duobus inveniuntur, et quidem illud quinquies tantum, hoc undecies deciesve[49]). Nempe denique (quod ap. Sueton. nusquam invenias) in solo Dial. legitur: c. 9, 17, 21; c. 35 cum illo **enim** coniunctum (cfr. Draegerus §. 132). — Eorum quae a Peerlkampio contra hoc enuntiatum proferuntur refutatione cum supersederi posse credam, elegantissimam interpretationem verbi arbitrabantur ab eodem propositam aliis praeferendam duco. — De altero professorum exilio vid. nunc Mommsenus Hermae vol. III, p. 84—87, de bonis artibus Woelfflin. Philol. XXVI, 139. — **Ne** finale legitur Dial. 10, 17, 37 (ter repetitum); Agr. 2, 8, 25, 26, 40, 42; Germ. 18, 19 (ter repetitum); **ne** consecutivum Agr. 6 effecit ne; verbo timendi postponitur D. 11, 26; A. 16, 35; in adhortatione extat Agr. 32. — Adverbium **usquam** in scr. minor. alibi non conspexi, neque id quod est **nusquam** praeter Agr. 10 **aut nunquam** alio loco atque Germ. cap. 25.

De iunctura **sicut** — **ita** bene disseruit Woelfflinus Philol. XXV, 108—9; illud **tam** — **quam** de quo vid. Zumptius §. 725, in scr. min. hisce locis observare licet: Agr. 32 (fere idem quod **ut**); Agr. 2, 31 (f. i. q. **et** — **et**); G. 21; Dial. 12; G. 14; D. 8 et 21 tam hercule quam; D. 16; G. 3. Apud Suetonium **tam-quam** plerumque cum negatione iunctum legitur: Caes. 69, 86; Aug. 72; Tib. 55, 59, 61; Cal. 37; Claud. 25, 36; Ner. 43; Galb. 14, 17; Oth. 12; Vit. 2; Vesp. 9; de gr. 24; sine negat.: Caes. 20, 24, 74; Aug. 66; Tib. 13; Claud. 1; Ner. 14; Galb. 3; Vesp. 16; Dom. 2, (20).

Caput III.

Nunc demum redit animus e. q. s. Spengeli emendationem **rediit** (cf. c. 26) **animus**, **sed** prorsus sper-

49) Vid. annot. ad cap. 6.

nendam esse post Eckstein um et Wexium nunc Spitta p. 11—12 multis exemplis demonstravit. Cuius explicationi voculae et assentiri prohibeor Wexi annotatione »Est igitur .... ponunt«. Nam quamquam posse hic leve illud sed transitui serviens cogitari concedo, tamen quam accuratissime rem mihi perpendenti nil nisi hoc videntur significare verba Taciti: »nunc demum redire incipit animus et quidem lente, nam remedia tardiora sunt quam mala«, ita ut Spittae quinta decima dissertationis pagina afferenda ea fuisse existimem. Etiam Hoeggius p. 16—17 illud et defendit, sed nescio an non satis recte: ».....Mea quidem sententia haec est verborum significatio: Nunc demum redit animus, et nihil iam impedit, quominus ingenia studiaque revocemus; sed est haec infirmitatis humanae natura, ut remedia tardiora sint quam mala et invisa primum desidia postremo ametur e. q. s.«, cui interpretationi, si nunc denique legeremus, non dubitarem accedere. — Nerva Caesar ..... libertatem. Vid. Huebnerus Hermae I, 442 annot. et Urlichsius comment. p. 7.

nec spem modo ac votum e. q. s. Dissentiunt interpretes in explicatione vocis robur, quam alii ad genetivum voti referendam, alii cum accusativo fiduciam per hendiadyoin quam dicunt figuram coniunctam, alii de ipsa securitate publica intellegendam esse censent. Sed prima interpretatio minime omnium probabilis mihi videtur; nec enim unquam a Latinis robur voti dictum esse credo, non magis quam robustum votum sicut nostrum »ein starker Wunsch«, quae notio quia significaret aut »ein tief begründeter Wunsch« aut »ein tief gefühlter Wunsch«, repugnaret insuper sententiae totius enuntiati. Neque intellego quomodo Kritzius »robur voti esse, ubi votum iam ratum factum sit« sibi persuaserit, atque magis etiam miror quod Rothius verba illa convertit: »und das öffentliche Vertrauen nicht nur Hoffnungen und Wünsche fassen gelernt, sondern auch Bürgschaft und Bestand derselben (voluitne einen Bestand (copiam) an bereits er-

füllten Wünschen?] gewonnen hat«, quae enuntiatio nisi deleto pronomine derselben sanum rectumque sensum non exhibet[50]). Jam ne ad illud *ἓν διὰ δυοῖν* quidem confugiendum nobis puto, id quod cum Wexio fecit Draegerus, quia simplicior magisque perspicua ea est explicandi ratio quam Hoeggius et Gutmannus secuti sunt[51]). Cui ne quis opponat roborata iam securitate publica neque fiduciae neque dubitationi locum relinqui, adscribere mihi liceat mutatis mutandis Kritzi adnotationem: **Fiducia voti est,** ubi non dubitatur quin votum ratum futurum sit; **robur** assumpsit securitas, ubi revera tenetur. Utrumque in Nervae et Traiani saeculum cadebat. Sic igitur verba illa transtulerim: »und die öffentliche Sicherheit nicht nur unser Hoffen und Wünschen eingenommen, sondern auch (**as**sumpserit) Zuversichtlichkeit für den Wunsch und Festigkeit gewonnen hat«. Peerlkampio autem id solum concedi potest enuntiatum hoc contortum ac durum esse sed non tale ut Tacito videatur indignum. Qui cum quaesita dictione, quae voci non satis exercitatae facile duritiae fit causa, persaepe usus est, tum huic maxime quam initio capitis tertii illustrat sententiae exornandae operam dedit. Neque contendere Peerlkampium oportuit Nervam et Traianum pro consilio Taciti satis laudatos fuisse, quoniam iis quae de restituta securitate publica adduntur propria quaedam ac singularis laus Traiani continetur. Cfr. etiam quae ipse Peerlk. p. 14 de edicto Divi Nervae in Plin. ep. X, 66 (apud Keil. C. Plini et Traiani epist. LVIII, p. 218) prolato exponit, quod sive »revera est Nervae« sive »ex ingenio eius fictum ac compositum«, inesse verbis illis probum sensum satis superque apparet. —

---

50) Etiam apud Urlichsium p. 7 legitur illud v o t i r o b u r sed non explicatum.

51) Ita vertentes »so dass die öffentliche Sicherheit nicht bloss Hoffnung und Wunsch, sondern auch Vertrauen zu des Wunsches Erfüllung und Stärke gewonnen hat« et »und die öff. Sich. nicht H. nur und W. geblieben, sondern in Gewährung des Wunsches und in Thatbestand übergegangen ist.«

natura infirmitatis humanae = secundum (vel ex) naturam, illustre et ab interpretibus male omissum exemplum liberioris usus ablativi causalis, de quo in universum disseruit Rothius exc. 14 (conf. Draeger. §. 61).

Ingenia — revocaveris. Minime haec desiderare comparationem recte quidem dicit Peerlkampius, cui etiam in eo assentiamur quod omnibus numeris eam quae fiat absolutam esse negat; sed propterea non licet suspectare continuo verba ut corpora — extinguuntur. Neque enim omnis comparatio est aequatio, nec si contenduntur duae res, omnes earum partes accuratissime sibi respondere semper necesse est. Quae vero de ordine verborum ingenia studiaque ab illo adduntur, ea in ipsum contrarium conversa non minus recte affirmaveris; atque ea quam legimus vocabuli ingenia collocatio etiam quia voci corpora id opponitur aptissima est. — Notiones inertiae et desidiae, sane illas contiguas atque cognatas, certo quodam fine hic separari temere puto exprobrasse Peerlkampium, qui idem miro modo alterum enuntiati sequentis membrum ab altero pendere statuit, quamquam ut posterius e priore sequatur tantum abest ut ambo per se intellegenda eandem sententiam[52]) diversis verbis exprimant: aut si quis interiore nexu cohaerere ea velit, illud primo ita explicari et posse et debere non negabit ut significet: extantis desidiae initio, quod quidem incidit simul priusquam inertiae dulcedo irrepere incipiat. Sequentem Peerlkampi argumentationem subtiliorem severioremque ac plane insuper de Agricolae moribus quae c. 6, 4 et 40, 4 dicuntur omittentem refutari non oportet; eodem fere iure quo illud »Quamvis enim — ederet« ad prioris capitis verba adempto — commercio annotare potuit: »Falso; quamvis enim aperte dicere, quae quis sentiret, non licebat, tamen secum loqui licebat«. Ceterum vid. quae Nipperdeyus ed. annul. p. VIII et IX

52) Similem eius invenias c. 16 4. — De verbo subeundi vid. Heraeus ad hist. 1 13, 15.

scripsit. — **Quid**, si Draegerus (in edit. »Agr.« p. 8) tribus tantum locis a Tacito usurpatum esse dicit; sed cfr. Dial. c. 20 extr. et Heraei ad hist. 4, 17 annot.

uti dixerim Hanc codicum lectionem a Dronkio revocatam scite defendit Hoeggius p. 17 et 18, quem secuti sunt Wexius, Kritzius, Ritterus (ed. a. 1864). Tamen hic Walchius recte videtur iudicasse cum scriberet »uti dixerim für quemadmodum dicam oder für ut ita d. wäre wider den Sprachgebrauch«. Woelfflinus quidem Philol. 26, 139 et 140 neque ullo exemplo talem significationem illius uti dixerim confirmari et solum ut sic dixerim ex usu Taciteo esse demonstrat[53]). Tum Peerlkampius iniuste vituperat ordinem verborum; nam ut sic dixerim non solum ad verba nostri superstites sed ad totum illud non modo — superstites referendum suo prorsus loco positum est. Ea quam Peerlkampius vult collocatio illius enuntiati recta foret, si tantummodo pauci et, ut sic dixerim, etiam nostri superstites sumus scriptum esset. Non magis pronomen aliorum offensionem habet, quo ii quorum antea mentio facta est et possint notari et ratione alterius pronominis nostri habita aptissime notentur; sunt alii atque nos ipsi. Cum denique Peerlkampius verbis nostri superstites sumus, quae valere dicat »omnem animi et ingenii facultatem perdidimus, nulli amplius studio apti, nihil sumus«, nimiam vim tribuat, ne vituperatio quidem nimiae aut arrogantiae aut modestiae quam Tacito obicit magni nobis faciunda est.

iuvenes ad senectutem. Hic ut tollatur Peerlkampi dubitatio Kritzi annotatio non efficit, efficiunt, puto, (coll. Draeger.) haec Hoeggi: »Universe hic loqui scriptorem nec se potissimum respicere vix est, quod moneatur. Non enim hoc dicit: Ego, qui ante quindecim

---

53) Quod in voculam **et** Walchius animadvertit, animi causa adscribo: »**et** müsste doch, als ganz unlateinischer (nicht einmal **deutsch** erträglicher) Fortschritt getilgt werden«.

annos iuvenis fui, nunc ad senectutem veni; sed in universum: qui ante hoc tempus iuvenes fuerunt, nunc ad senectutem, senes ad exactae aetatis terminos venerunt«. De voce senectutis vid. Woelfflinus Philol. 25, 101. — Verba per silentium vertunt schweigend (Gutmannus) vel als ein Volk der Stummen (Rothius); Wexius (in ed. min.) interpretatur: »Gemeint ist die Beschränkung der senatorischen Thätigkeit«; plura complectitur explicatio Kritzi, quae cum brevem ipsius scriptoris superlationem minime illam insolitam (superlatum etiam illud vocem perdidimus erat) fusius sic illustret »per oppressa ingenia studiaque prohibita omni dicendi scribendique facultate et exercitatione«, nequiquam reprehenditur a Peerlkampio, qui, id quod accuratius quidem est, »Prohibita«, inquit, »tantum — sentiret«. Ceterum Kritzius quoque in conferendis iis quae silentio subiecta erant fori tantum studia et civilium artium decus in silentium acta curiamque elinguem enumerat. Minus recte nunc de sola facultate vitae clarorum virorum scribendae agi Peerlkampius censet; nam ad totum historicum genus pertinere quod deploratur silentium iam e proximis verbis Non tamen pigebit e. q. s. intellegitur (cfr. ipsius Peerlkampi ad ea annot.), atque etiam medio hoc capite in universum de ingeniis studiisque disputatum est. Quid, si ingenuorum studiorum artiumque, quippe quae multis rationibus inter se conexa mutuo augeant se minuantque, ne possunt quidem alia opprimi aut cohiberi ita ut nihil alia accipiant detrimenti? Quare nostro sermone ita reddiderim sententiam illam: Wie ferner, wenn nach Verlauf von 15 Jahren, einem grossen Zeitraum im menschlichen Leben, während »viele durch die Schläge des Schicksals, die entschlossensten Männer durch die Grausamkeit des Herrschers umgekommen sind,« unser nur wenige »übrig sind und, wie ich wohl sagen möchte«, nicht nur die anderen, sondern auch uns selbst überlebt haben, da uns aus der Mitte des Lebens soviel Jahre geraubt sind, in denen wir von der Jugend zum Alter, vom Alter bis hart ans Ende des

vollbrachten Lebenslaufes in schweigender Unthätigkeit (vel in unthätiger Stille) gekommen sind. — Ritteri (ed. a. 1864, Mus. Rhen. 20, 518) coniectura superstites supersumus supervacanea est, quia superstitem esse etiam absolute dictum usurpatur, quod non fit in nostro verbo überleben.

non tamen pigebit — composuisse. Wexius explicationem suam, quam a plerisque interpretibus reiectam unus accepit Gutmannus [54]), duplici argumentatione probare studet. Cuius altera pars diligentissima illa ac doctissima ad magnam de aoristi in lingua latina usu controversiam pertinet, quam ego diiudicare non audeo. Sola igitur altera respecta censenti Wexio »si nolis artificia captare ipsamque seriem sententiarum consideraveris, illud non tamen pigebit utique interpretaberis: »non gravabor, non defugiam, aggrediar, sustinebo« prorsus quidem assentiendum puto, si eius tantum sententiarum ordinis qui tertio capite continetur ratio habeatur; sed totius prooemi argumento accurate perpenso nescio an dubitari non possit quin enuntiatum illud interpretatione Rothiana [55]) haud paulo facilius quam Gutmanni sententiarum summae inseratur. Offensio enim quam inesse verbis illis particula tamen cum antecedentibus arte coniunctis supra animadvertimus (v. n. 39) eo magis minuitur quo magis haec historiarum promissio ut forte incidens videtur interposita esse, quod si ex Rothi sententia ea intellegantur fieri neminem fugit. Ita etiam interim vocem meliore iure donec composuero explices, quam quod Gutmannus perperam nostro adverbio übrigens reddidit, non fortuito id factum esse apparet. — Jam delenda iudicat Peerlkampius verba vel incondita ac

---

54) Vertit: »Doch soll es mich nicht verdriessen, ... aufzustellen«.

55) »Dennoch werde ich's einmal zufrieden sein, ... aufgestellt zu haben«. Sic etiam Walchius, Hoeggius, Peerlkampius (exemplis addito l. Quintil. III, 1, 22), Kritzius, Draegerus, Nipperdeyus (ed. annal. p. IX).

rudi voce propter »miram Latinitatem«[56]); male enim iungi incond. v. componere, quia contraria sint inconditum et compositum, neque voce nos librum componere aut scribere, sed testari, loqui, prodere. At verbo componendi non necessario inhaerere notiones bene, ordine, sim. iam ex eo patet quod id nonnunquam cum adverbiis male, dure al. coniunctum legitur, de qua re cfr. lexica; neque est cur in metaphora voce composuisse ne a nostra quidem lingua aliena offendamus[57]), quali argumento ne in suspectanda verba tradita inducamur omnino nobis cavendum esse ex iis discas quae Naegelsbachius in egregio suo libro quem inscripsit »Lat. Stilistik für Deutsche« de translationibus luculente exposuit, inprimis §. 128 et 138. — Vel particula cum vi aut restringendi aut augendi nusquam in Germ., uno hoc loco Agricolae, quater in Dial. extat (c. 26 vel hirta toga, 39 vel ideo ut ridear; 6 extr. vel praecipua, 27 extr. vel magis); cfr. Draeger. §. 130. Apud Suetonium legitur cum adiectivo praecipuus iuncta his ll.: Caes. 21; Aug. 10, 32; Tib. 51; Cld. 20; Ner. 22, 39; Galb. 16; Vit. 13; Domit. 19; cum superlativo: Aug. 51; Tib. 56, 61; Claud. 30; Glb. 1, 15; Vesp. 17; cum comparativo: Tib. 71; rh. 5; cum positivo: Glb. 9; Oth. 9; Vit. 13; Vesp. 16; Dom. 12; cum adverbio: Tib. 11; Cal. 55; Vesp. 23; Dom. 20; cum substantivo: Aug. 51; Tib. 18; Ner. 47; Vit. 17; Vesp. 19; de gr. 11. — Cum iis denique quae de coniunctione ac nomen testimoni praeeunte scripsit Peerlkampius conferenda sunt ipsius Taciti (hist. 1, 1) illa quod si vita suppeditet cet. (de quibus disputavit etiam Alex. Rieseus Eos II, 194) et Spittae annotatio p. 44. Eiusdem particulae repetitionem rarissimam esse Draegerus scribit §. 116; ut confer, ut potissimam esse

56) De vera, ut mihi quidem videtur, suspicionis eius causa p. 5 dixi.

57) Conf. etiam Ciceron. de orat. II, 12, 54 addidit maiorem historiae sonum, ibid. 14, 58 ille . . . . leniore quodam sono est usus.

sima tantum exempla ostendam, Dial. 8 ac ... ac, 10 ac ... ac, 16 ac ... ac, 39 ac ... ac ... ac, 41 ac ... ac; Agric. **1**, 1 ac ... ac, **3**, 1 ac ... ac, **3**, 4 ac ... ac, **6**, 4 ac ... atque, **7** 2 ac statim ... ac statum, **10** 6, **16** 5 ac ... atque ... ac, **18** 7 ac ... ac, **25** 2 ac ... ac ... ac, **27** 2 atque ... ac ... ac, **30** 4 ac ... ac, **31** 2 atque ... ac ... ac ... ac, **42** 5 ac ... ac; Germ. 16 ac ... ac, 18 ac ... ac, 24 ac ... ac (vid. Sueton. Caes. 24 ac ... ac, 35 ac ... atque, 54 ac...ac, 67 ac ... atque; Aug. 19 ac ... ac, 40 atque ... ac, 46 ac ... ac, 61 ac ... atque, 82 ac ... atque, ac ... ac, 88 ac ... ac; Tib. 2 ac ... atque, 3 ac ... ac, 15 ac ... atque, 28 ac ... ac, 37 ac ... ac, 63 ac ... atque; Cal. 47 ac ... ac, 52 ac ... ac, 54 ac ... atque, 58 ac ... ac; Claud. 1 ac ... atque, 2 ac ... atque, 13 ac ... atque, 18 ac ... ac, 33 ac ... ac, 34 ac ... atque; Ner. 37 ac ... ac, 49 ac ... ac; Galb. 14 ac ... atque, atque ... ac; Oth. 2 atque ... ac; Vit. 7 ac ... ac, 11 atque ... ac; Vesp. 3 ac ... atque, 5 atque ... ac, 23 ac ... ac, 24 ac ... ac; Tit. 7 ac ... ac, 8 ac ... ac ... ac; Domit. 2 ac ... ac; etc.; sed Caes. c. 25: que et ... ac ... que ... et ... ac; Ner. 31 atque ... et ... que ... ac; al.).

hic interim liber. Rothius ed. p. 217 interpretatus est: »dieses indessen [i. e. unterdessen] ausgegebene Buch«, qua de re vid. totus eius »excursus« XXIV et ea quae Draegerus §. 23 laudat exempla, quibus addas praeter Plini illud ab aliis iam collatum habebis hanc interim epistulam ut *πρόδρομον* (ep. 4, 9, 23) Cicer. de orat. **2** 86, 353 hoc interim spatio ..... conclave illud concidisse; Suet. Dom. 1 successore mox suo, de rhet. 5 a quo mox consule; Plin. epist. **3** 5, 4 qui Germaniae latissime victor ibi periit. Sed nescio an rectius hic interim ad verba aut laudatus erit aut excusatus referamus, quia neque collocatione adverbi ubique fere post primum alterumve enuntiationis vocabulum positi Rothi interpretatio postulatur, et ipsa futura exacta quae dicuntur ad verba illud pertinere videntur demonstrare. Cui constructioni magnam

breviloquentiam inesse, id quod Kritzius censuit, non agnosco neque sensum »interim hic liber in honorem Agricolae scriptus aut laudatus aut excusatus erit« ad plane intellegendum iis quae cogitatione addi ille voluit egere puto. Jam ad ea quae Woelfflinus Philol. 25, 107—8 scripsit »Antea und postea . . . . bloss Annal. 11, 35« haec breviter annotare velim: Tacitus adverbio interim in scr. min., quantum vidi, sexies modo usus est et quidem in Agric. capit. 3, 20, 25, 36, 40; uno Dial. loco: c. 18; nullo Germ., quippe qua, si unum caput 33 exceperis, nusquam continua oratione narraverit res gestas; interea autem ne in »Agricola« quidem usquam inveni; illud denique inter haec etiam Dial. cap. 39 med. (Suet. Tiber. 8, 63; Cal. 45; Vesp. 3; Tit. 10 al.; cfr. Vesp. 8 post haec; Caes. 26 inter quae) extat. — Ne haec quidem sententia effugit Peerlkampi suspicionem. Sed quae ille glossatoris esse iudicat: honori . . . . destinatus, ea iusta reprehensione prorsus carent. Neque enim significant: nihil hoc libro acturus sum nisi ut laudes Agricolae componam, sed: soceri memoriam atque imaginem satis honestam honoratamque apud posteros redditurus sum. Quod consilium pio filio dignissimum quodque omnem laudem mereatur cur enuntiare non debuerit invidorum malorumque contemptor Tacitus, ego quidem non intellego, quoniam ingenua ac libera confessione apud legentes non minuitur sed augetur fides scriptoris, quae tota quidem in affirmationibus non est posita. Quid, si quod hic siluisse Tacitum Peerlkampius vult, Agricolam esse socerum suum, postea ille identidem profitetur? Reliqua vero argumenta quae Peerlk. in rem suam convertit ad delenda verba tradita minimi momenti esse cum ubique fere tum nostro loco perspicuum est. Nam fieri solet ut quod grande alii, alii tenue breviusque videatur, et si reicere nobis liceret quaecunque supervacanea censemus, hic Agricolae vocem, ille soceri, tertius mei, soceri mei alius, alius Agricolae mei, alius denique omnem consili mentionem deleri vellet, ego — continuo totam

hanc severius iudicandi licentiam reicerem. Neque in sequentibus capitibus, ut in prooemio feci, de minutissima quaque Peerlkampi dubitatione agere mihi in animo est, sed eas tantum respiciam e quibus aut probatis aut refutatis fructum aliquem sive emendationi sive interpretationi verborum percipi posse existimem.

Caput IV.

In narratione primi statim sensus verba extrema ab aliis aliter explicata, a Wexio et Peerlkampio spuria aut corrupta dicta sunt. Interpretationes autem quas legi hae sunt: Walchius, Rothius (in ed.), Duebnerus equestri nobilitate significari censent gradum illustrium equitum, ad quem procuratoris munere functi equites pervenerint; Rothius (in interpr. germ.) et Kritzius existimant Tacitum omnino magni decoris quod ex illo magistratu equitibus ortum sit mentionem facere voluisse; Gutmannus vertit: »eine Würde, die nur dem Ritterstande zusteht«; Draegerus explicat Tacitum diserte declarare velle avosAgricolae non libertino genere fuisse; Urlichsio illa verba ad condicionem Foroiuliensium spectare videntur, qui »non ultra procurationes ascendere potuerint«; Schoemannus »non ad unum procuratoris vocabulum, sed ad omnem superiorem enuntiationem« referenda ea hoc sibi velle iudicat, »ut equestris nobilitas Agricolae fuisse dicatur propterea, quod avum utrumque procuratorem Caesaris habuerit«. Peerlkampius et Wexius desperata omni interpretatione alter ad audaciorem emendationem, ad obelum alter refugiendum esse putant. Earum interpretationum cum primas tres bene refutaverint et Wexius et Schoemannus[58]), Draegerum autem miram sane gravitatem linguae

58) Cuius expositionem profecto miror a Kritzio prorsus esse neglectam, quamquam in praefat. ed. alt. grato animo is profitetur multa se debere Schoemanno, qui complures locos tanto pariter acumine et doctrina atque humanitate tractaverit, ut ei non obsequi hominis perversi et dissoluti foret.

scribendique plus quam rudem inscitiam Tacito tribuentem nihil prorsus explicasse contendere liceat, ne Urlichsius quidem, quamvis »rerum notitiam ad verborum interpretationem attulerit«, persuasit mihi eam quam verbis illis inesse censeat sententiam »apte dictam et perspicue expositam« esse; nec enim vocem nobilitatis, ut saepe fit in nomine honoris, magistratus notionem adsumere posse puto, aut, si posset nostroque loco ea significatione usurparetur, praecipua notio illius sententiae (illud non ultra) omissa esset, quod ut aptum et perspicuum esse dicam tantum abest ut ne licere quidem per leges recte scribendi credam. Itaque Peerlkampi audaciam aspernatus Schoemanno qua praeter ceteros ornatus est »notitia rerum« Wexi dubitationes tollenti[59]) assentior, cuius interpretatione a iusta reprehensione ut mihi videtur plane libera non habeo meliorem; qualem si alius quis posthac proposuerit, pergratum mihi fecerit.

pater illi Iulius Graecinus. Rectissime Draegerus Froehlichi et Ritteri coniecturis fuit et eius praetulit emendationem Woelfflini, qui quod omnibus promptum atque apertum nec cuiquam tamen animadversum fuerat protulit primus prolatumque multis exemplis confirmavit (Philol. vol. 26, p. 140). — Ea quae secuntur iisque ipsis virtutibus addubitavit Peerlkampius[60]). Et hercle quominus virtutibus illud ut deleatur poscenti ei accedamus nec silentium Kritzi nec Rothi interpretatio idonea est quae nos prohibeat. Nam verba illa nostris »durch seine Tüchtigkeit eben darin« non accurate reddi apparet neque negari potest suo iure scripsisse Peerlkampium »Studium eloquentiae . . . . referri debet«.

---

59) Equestris »cetera« nobilitas commemoratur a Tacito etiam annal. 6 15: Calibus ortus [Vinicius] patre atque avo consularibus cetera equestri familia erat.

60) Walchi suspicionem nihil attinet redarguere, quoniam ne ipse quidem vocabulum ipsis »sex non dubiis glossematis Agricolae« (v. p. 126) adnumerare ausus est (p. 156). Ceterum vid. etiam Kritzi ad vocem meritus annotatio.

Sed videtur V. D. notionem vocis virtutis iusto artius circumscripsisse, quae significatione nostri nominis »Tugend« minime expleta cum plurali numero ponitur nonnunquam ad omnia animi bona quibus aliquis fruitur nec non externa quaedam pertinet, ut in patrio sermone similius non habeamus quam »die Vorzüge«[61]). Ita etiam Graecini virtutes intellegendas puto et senatorium ordinem et eloquentiam sapientiamque[62]), quae in uno homine coniunctae invidiam atque iram Caesaris commoverint. Nam Peerlkampi distinctioni »Eloquentia fuit — vetabant« subtili illi quidem hanc Wexi interpretationem antepono: »Dass Caligula dem Graecinus den Auftrag ertheilte, den Silanus anzuklagen, war eine raffinirte Bosheit, weil er im Voraus wusste, dass dieser diesem Befehle nicht gehorchen würde.« Si autem censeat quis dignitatem senatoriam inter virtutes referri non posse, ne breviore quidem dicendi ratione (ne de eloquentia sapientiave idem neget non iam vereor), aut si moleste ferat quod a studio ablativo »virtutes« illae dependeant, has duas emendationes mutatione[63]) Peerlkampi leniores ei propono: studio eloquentiae sapientiaque notus iisque ipsis virtutibus vel st. eloq. sapientiaeque notus suisque ipsis [gerade] virtutibus. At is qui ad eadem verba plures profert emendationes hoc ipso nulla opus esse comprobat — recte, non iam repugno. De verbis et quia abnuerat Phil. Spitta dissert. s. p. 21 (coll. 46) inita festinantius ratione qua loc. annal. (16, 15) optime 'explicuerat parum considerate vi-

---

61) Quo eodem nomine utimur nonnunquam ad vertendum latinum illud »laudes« vel »bona«. Jam video Gutmannum quoque vertisse »welche Vorzüge ihm gerade den Groll des C. Caesar zuzogen.«

62) Similem notionum collocationem habes hist. 3 81 (v. not. 66).

63) Cuius causa unde orta sit, i. e. quomodo interpolatoribus ut virtutibus (non rebus) addant potuerit in mentem venire non sane intellego.

detur mihi iudicasse[64]). Facile enim intellegitur recte non se habere talem sententiam »quia accusare iussus erat et quidem quia abnuerat interfectus est«, neque hic »generaliorem causam sequitur specialis quaedam«, sed sententiae, quarum sola altera causae vicem obtinet, inter se contrariae sunt, ut de ratione inter generaliorem et specialem intercedente cogitari non possit. Acquiescamus igitur in scita Kritzi (Wexi) interpretatione.

sedem ac magistram studiorum. Ad haec verba unius Kritzi extat annotatio, quacum cfr. quod Spitta p. 19 n. 1 scripsit: »... Tacitum aliquando, ut videtur, paullo quaesitius vocabula quam diversissima coniungere, dummodo ad unam eandemque rem spectent. Annal. II, 9 insignis fide et amisso pervolnus oculo. I, 68. XIV, 61. Hist. III, 22. Agr. 37 nox et satietas«. His exemplis si ea quae Nipperd. ad ann. 14, 47 affert (coll. Draeg. §. 237, 2) atque Agr. 37 collecti et locorum gnari; Germ. 44 rotunda scuta . . . . gladii . . . obsequium (alia apud Boetticher p. LXXVIII) addideris, scriptorem illa dicendi forma scite aliter non usum esse cognosces quam ut unoquoque iunctorum verborum novi quiddam ad sententiam addatur. Quae lex hic neglecta dici possit, cum illud sedem (Wohnort) altero magistram studiorum prorsus supervacaneum reddatur, ita ut deprehendisse nobis videamur illustre exemplum proprietatis non satis excultae, dictionis non bene compositae; licet tamen et quia licet oportet vocabulo illo integrum victum sanctorumque hominum consuetudinem quam praebuerit Agricolae Massilia statuamus indicari. — In fine enuntiati Peerlkampius coniecit mixtum ac paene compositum, quia »comitas et parsimonia non sunt virtutes contrariae neque recte sic sibi opponuntur, ut altera

64) Scribit: »Verba et q. abn. epexegesin formant verborum M. Silan. accus. iussus, atque arctissime cum iis cohaerent, quum sine illis cogitari non possint; itaque prima sententia generalior est, in altera autem maior posita est vis«.

alteram misceat ac temperet«; sed notiones quae misceri dicantur in omnes partes contrariae sint necesse non esse iam ex ipso Vellei (II, 98) exemplo a Peerlkampio laudato » ... esse mores eius vigore ac lenitate mistissimos« satis apparet. Ceterum nomen comitatis, quod a Wexio, Kritzio, Draegero plane neglectum Walchius, Gutmannus, Rothius parum perspicue recteve videntur explicuisse[65]), adhuc, puto, desiderat bonam i. e. brevem simul et veram interpretationem; veram existimo esse talem: graeca comitas intellegitur Graecorum humana facilitas atque laeta liberalitas quae posterior notio implicatione illa de qua vid. egregia disputatio Spittae p. 61 sqq. e parsimoniae vocabulo mente addenda est. Eadem virtus ne in luxuriae vitium se vertat (cfr. Cicer. or. pro Flacco 29, 71 med.), ipsa admixta provinciali parsimonia prohibetur.

Memoria teneo solitum. Zumptius gr. lat. §. 589 exemplum huius memoria teneo cum infinitivo praesentis coniuncti affert; quam constructionem ne a Taciteo quidem sermone alienam esse didiceris e. g. ex annal. 3 16 audire me memini ex senioribus. Ceterum perfectum apud Ciceronem legitur epist. ad famil. 4 3, 3 et de rep. 1, 14, 21; etiam Suetonius utroque infinitivo utitur, v. c. dep. l. rel. p. 300, 5 ed. Roth. praesentis, Domit. c. 12 extr. perfecti (cfr. de gramm. 4 extr. repeto ... solitum). Vid. Billroth, lat. Schulgr. §. 237, n. 1! — Ad sequens enuntiatum ultra — senatori quas anno-

65) Walchius convertit »Griechen-Feinheit«, Gutmannus »griechische Feinheit«, quam nescio an elegantiam Tacitus appellaturus fuerit, Rothius »griechische Bildung«, quasi legeretur graeco cultu. Virtus comitatis, ut etiam ex iis quae antecedunt patet, ad convictum hominum pertinet, neque aut una hac voce omnia quibus prae Romanis Graeci fruuntur ingeni bona (ut ea quae Mommsenus rom. hist. I, 460 extr. commemorat) comprehenduntur aut verbis locum — compositum universa significatur »difficillima illa societas gravitatis (romanae) cum humanitate (graeca)«. Quid igitur, si »die griech. Tugend heiterer Geselligkeit« vel breviter »griech. Geselligkeit« vertamus?

tavit Peerlkampius dubitationes neque Kritzi neque Draegeri interpretatione refutatas dices. Nam cum tribus ille argumentis sententiam suam confirmare studuisset, Kritzius neglecta omnino ea argumentatione nihil aliud egit quam ut Wexi sententiam repeteret, Draegerum autem explicantem »die Worte — hindeutete« »poetarum more verba fudisse« neminem puto negaturum esse. Nihilominus improbanti mihi Peerlkampi opinionem id maxime respiciendum videtur quod Tacitus totam illam sententiam ipsum Agricolam facit narrantem. Itaque non dicendum est scriptorem in enarranda prima soceri iuventa dignitatem illo tempore ab eo nondum impetratam praecepisse (quod iis quae legimus verbis inepte fieri iure quidem diceres), sed referuntur obliqua oratione verba ipsius Agricolae; qui cum in sermone de acriore quam adulescentulus in philosophiam impenderit cura cum genero habito praesentes honores breviter ita in comparationem vocet, aptissime eum nec sine festiva quadam ironia loqui agnosces. — Illud concessum est — sic enim recta, concessum sit obliqua oratione verba Agricolae accipienda arbitror (vid. Nipperd. ad annal. 1 7, Draeger. §. 36 b)) — pro praesenti conceditur positum extat etiam Germ. c. 39, 40 (cfr. c. 7 permissum), ut apud Lucret. 5 1148 acrius . . . . . . quam nunc concessumst legibus aequis et Quintil. 6 3, 28 (vid. Freund. lex. in v.).

Venio ad infinitivum hausisse[66]) additumque ei

66) Quem reicienti Peerlkampio ne obsequamur, cum iis quae ad verba voce composuisse dicta sunt quibusque h. l. ex hist. 3 81 addas Musonius Rufus equestris ordinis, studium philosophiae et placita Stoicorum aemulatus (ubi ne de zeugmate cogites cfr. Liv. 1 18 iuvenum aemulantium studia) tum varia vi illius haurire monemur, quod ne a studii quidem nomine abhorrere iam e Ciceron. de orat. 1 3, 12 artium studia hauriuntur intellegi potest. Sed enim Kritzi explicatione »studium philos. esse philosophiam, cui studebat« nimirum miror levatam non esse suspicionem Peerlkampi. Qui quod coniecturam habuisse »confirmari quodammodo« censet »ex eo, quod sequitur: mox mitigavit ratio et aetas«, mitigavit illud

enuntiatum condicionale **ni — coercuisset.** De quibus si egregiam disputationem Wexi ed. p. 37—42 coll. Rothi »excursu« XXIX legeris, miraberis sane quod apud Draegerum in §. 194[67]) talem invenis singulorum quibus imperfecti pro coniunctivo indicativus ponitur locorum dispositionem: »Das Imperfect bezeichnet gewöhnlich

a) die **Wirklichkeit** einer Handlung oder eines Zustandes;

b) die **Pflichtmässigkeit** und **Möglichkeit** der Handlung (exemplis h. l. utitur cum aliis tum his: ann. 5 26 debebatur; hist. 4 19 opprimi **poterant!**). Melius sane fuit acquiescere in excribenda Boetticheri ad indicativum annotatione tertia (lexic. p. 255). An non recte pariter ac perspicue exposuit Wexius p. 40: »modus indicativus indicat quae sunt, inservit igitur significandae veritati sive certitudini e. q. s.«? Aliam igitur descriptionem generis istius enuntiatorum condicionalium proponam in eamque locos ab interpretibus allatos distribuam, qua in re aegre fero praesto mihi non esse P. Thom. Kremeri commentationem »de enuntiatis condicionalibus« (Aug. Vindel. a. 1863) valde illam ab hominibus doctis laudatam. Mihi autem ita videtur statuendum esse:

»Modus indicativus inservit significandae veritati sive certitudini.« Si quis igitur indicativo praeteriti alicuius utitur, significat eo revera aliquid tempore praeterito fuisse sive factum esse, v. c. »tum res Romanae maxime florue-

---

propter perfecti formam atque sequens enuntiatum coniunctione que adnexum, quippe quibus ad rem narratam orationem redire demonstretur, rectius quidem ad studium philos. acrius haustum quam ad vehementiorem magnae excelsaeque gloriae appetitionem (sic ipse Peerlkampius 31 ed. pag.) refertur; attamen figurae ea mutatio satis excusatur interiecta sententia scilicet — appetebat.

67) Quam totam nimium festinanter conscriptam esse colligas etiam ex his vitiis in una pag. 65 extantibus: versuum 10 et 27 uterque eadem verba Agr. c. 37 exhibet; in isdem et vicesimo versu corrigendum est: Agr. 37 circumire; Agr. 23; hist. 4 19.

runt« et »ea pugna Romani Britannos vincebant«. Cum tali sententia ita ut non mutetur verbi modus saepe Latini iungunt non veram quae dicitur condicionem enuntiatam eam particulis si vel nisi (ni) et coniunctivo plusquamperfecti sive imperfecti, qua restringatur aut ipsa illa sententia, ita ut obiectivam quam dicunt eius veritatem in certitudinem subiectivam deminuat scriptor, aut altera quaedam ex illa vel paulo etiam audacius ex toto sententiarum ordine mente addenda. Itaque indicativus praeteriti (imperf., perf. seu plusquamp.), si prius fit, loco coniunctivi plusquamperfecti (cf. Agr. 16 amissa foret, 37 acceptum foret ponitur, a quo eo tantum differt quod maiore vi ac fiducia iudicium quod a narrante fertur pronuntiat, cuius rationis exemplum, ut eodem utar, hoc habeas: »vincebantque ea pugna Romani Britannos, ni (si) una legio in itinere retardata esset (mature advenisset)«; sin posterius, a propria sua natura non recedit, nec ipsis quae copulantur enuntiatis miri aliquid inest sed soli eorum coniunctioni exhibenti sententiae quendam quasi hiatum legumque accurate cogitandi neglegentiam (ut in hoc sensu: »eaque pugna Romani Britannos vincebant (vicerant) [adde: et ea victoria debellatum esset], nisi paucis post diebus alterum hostes exercitum collegissent«). Quae eo lenitur quodammodo quod semper fere restringenda sententia e pronuntiata facillime additur, quia in plerisque enuntiatis talibus auxiliaria quae dicuntur verba (ut debebat, oportebat; avebat, parabat; voluit, conatus est) vel coniugatio periphrastica vel adverbia paene et prope vel similis significationis verba (haud multum aberat, inclinabat) posita sunt. Sic igitur existimo usum illum indicativi describendum esse:

In apodosi enuntiatorum condicionalium quorum protasis nisi (ni) vel rarius si cum coniunctivo plusquamperfecti seu imperfecti habet

I. indicativus imperfecti certitudinem facti vel status

tota sententia[68]) expressi significat, quem is qui narrat indicat tempore praeterito[69])

a) **revera quidem non evenisse** sed certe eventurum fuisse, si condicio quae indicatur rata facta esset. — H. l. plerumque de facto aliquo refertur, rarius de statu, quod e sequentibus exemplis intellegas: Cicero in C. Verrem or. **5** 49, 129 si licitum esset, matres . . . . . . veniebant; de leg. **1** 19, 52 labebar longius, nisi. Liv. II 50; **28** 33. Tacit. hist. **3** 55 tot milia armatorum . . . . ., si . . . . foret, ... satis pollebant; 81; **4** 19 opprimi poterant; annal. **1** 35, 63, 65, 69; **2** 10, 45; **3** 14; **4** 30, 64; **6** 3, 36; **11** 34; **12** 39; **13** 2; **16** 32.

b) **revera quidem evenisse sed non** una cum altero quodam facto statuve e tota sententia vel ex iis quae antecedunt cogitatione addendo, quem cur non ipsum etiam evenisse putandum sit condicione indicetur. — Hic de statu fere agitur: Cic. Phil. **2** 38 quem patris loco colere debebas [et coluisses], si ulla in te pietas esset. Tac. h. **3** 46; **4** 36; ann. **1** 23; **13** 5: parabat; **11** 10 avebat; Liv. **3** 43 placebat, ni. **40** 32 prope. **6** 21, 6 inclinabat; **25** 31 instabat; Tac. ann. **3** 28 intentabatur; **2** 46 sperabatur; **1** 23 haud multum aberant; hist. **4** 39 ferebatur. Cic. Phil. **6**, 5, 14 campus Martius restabat [et ipse divisus esset], **nisi**.

II. Idem valere de indicativo **plusquamperfecti** haec exempla demonstrant:

a) Cic. ad famil. **12**, 10, 3 praeclare viceramus, **nisi**; Horat. carm. **2** 17, 28; **3** 16, 3; Verg. Aen. **2** 55; Tac. Agr. 23; hist. **3** 27; annal. **4** 9 (si), **6** 43 (si), **11** 37, **15** 50; Plin. pan. 8 (si); Flor. **4** 1.

68) Non solo verbo; cfr. ann. **16** 32 in amplexus occurrentis filiae ruebat, nisi (ruebat quidem Soranus, sed non in amplexus filiae ruebat).

69) Raro indicativus talis imperf. ad praesens tempus pertinens loco coni. impf. ponitur: Cic. off. **2** 19, 67 admonebat; rep. **3** 29 poterat; p. l. Man. **17** 50 erat deligendus; Liv. **3** 19 nunc — eramus; Tac. h. **1** 15, 16, **5** 26; ann. **1** 42, **4** 71 **avebat**; Quintil., **2** 8, 8; **4**, 1, 11 (Zumpt. §. 519 b. extr.).

b) Liv. 2 22 comparaverant auxilia, ni; 34 29, difficilior facta oppugnatio erat, ni; Tac. Agr. 37; annal. 6 9, 15 8.

III. Indicativus perfecti cum in priore genere, si potuit (ut Tac. D. 17; Agr. 31; Liv. 32 12 (coll. Cic. de rep. 1 6, 10)) exceperis, nullius fere usus sit:

a) Verg. Aen. 11 112, in posteriore saepe invenitur, maxime additis adverbiis paene et prope:

b) Liv. 2 10 paene, 65 prope; Suet. Caes. 52 paene, Galba 10 paene; Tac. hist. 1 64 prope. Cic. in Verr. 3 61, 141 debuisti. Liv. 22 60, 17 conati sunt; Suet. Cal. 58 voluit (c. impf. in protasi). — Cetera vid. apud Wexium.

In obliqua autem oratione indicativi illi in infinitivum perfecti commutantur. Ac saepissime quidem legimus **potuisse** (ut Cic. de off. 1 1, 4; de fato 20, 48 aliter . . . . . se non potuisse; Liv. 3 9; 34 11; 37 34; Quintil. 10 1, 62; Nep. Ages. 5 2); tum infinitivos verborum **voluntatis** (ut Tac. Agr. 13 agitasse C. Caesarem de intranda Britannia satis constat [et intrasset], ni; ann. 3 16 destinatum [fuisse] promere [et prompturum fuisse], ni; Agr. 4. hausisse — vid. uberior. Wexi exposition.); postremo, singulari quadam constructione, infin. fuisse: Cic. p. Planc. 36 88 vinci autem improbos a bonis fateor [esse praeclarum et faterer tum (futurum)] fuisse praeclarum, si finem tum vincendi viderem. Liv. 35 15 apparebat magni iustique regis in eo indolem [esse seque ostensuram] fuisse, si vita longior contigisset. Liv. 3 50 sibi vitam filiae sua cariorem fuisse [atque mansuram fuisse, vel: neque se eam occisurum fuisse], si liberae ac pudicae vivere licitum fuisset. — Coniunctiones denique vel imperf. vel plusquamp vel perfecti coniunctivus sequitur: Liv. 33 5 ut periculum subiret, ni; 42 43 cum Perseus. ni . . . . . haberet; Tacit. annal. 15 55 ut . . . . labaret,

ni[70]). Liv. 2 33, 9 ut cessisset. Draeger. §. 196[71]) (Zumpt. §. 498).

Caput V.

approbavit — aestimaret. Noli praeterire mutationem subiecti, cuius leniora exempla habes in ultimo sensu cap. 4 atque in Germ. cap. 16 versu altero, 19 nono, 20 tertio, 29 sexto edit. Halm.

Verba nec Agricola licenter sq. praeter editores nuper etiam Schoemannus (p. 5—6) et Wiegandus (progr. Wormat. a. 1861 p. 22—24) ut recte explicarent operam dederunt. Sed cum ille refutata bene sententia Wexi violentius priorum controversiam dirimentis[72]) simplicissimam quamque interpretationem optimam esse paucis probasset, hic ut Bormanni coniecturam »nec agere voluit licenter« refelleret male Rothium imitatus in vertendo et explicando »loco adhuc perobscuro« diversas sed easdem falsas verborum constructionis exponendae rationes iniit. Quam-

---

70) Verba dial. c. 36 cum parum esset in senatu breviter censere, nisi qui ingenio et eloquentia sententiam suam tuerentur, quae huc pertinere iudicarunt, utcunque interpretanda sunt, breviter illud puto ferri non posse. An non plane idem est breviter sententiam dicere atque sententiam suam non probare orando?

71) Ad §. 195 adde hist. 1 13 frustra translatae, si; 2 68 orta seditio, [quae] ludicro initio [erat et levis mansura fuit], ni. Cfr. Suet. Caes. 30; Tit. 10. Domit. 23.

72) Contra Wexium, quem Peerlkampius, praesertim cum nullis firmaret coniecturam argumentis, superare non debuit, praeter Schoemannum et Kritzium etiam Spitta (p. 129) bene rem expedivit, quo magis miror Draegerum in edit. denuo explicare: »nec »weder« correspondirt mit dem folgenden neque«. Responsionem eam in cap. XXIX secundo sensu simillimo cetera nostri loci invenimus, qui quidem pronomine relativo praecedenti sententiae adnectitur: quem casum neque .... tulit. —

quam enim Wexius et Doederlini et C. F. Hermanni interpretationes nitentes eas in ellipsi post vertunt statuenda recte reiecerat, tamen Rothius in annotationibus converso »Agricolae« adiunctis p. 146—7 similitudine inter lasciviae et licentiae notiones intercedente commotus in opinione Hermanni persistendum esse illudque licenter ad militiam in lasciviam vertunt, segniter ad voluptates et commeatus sq. pertinere arbitratus est; a qua sententia in conversione germanica ita discessit ut sensu servato adverbium licenter non cum verbo quodam mente addendo sed cum illo tit. trib. et insc. rettulit per zeugma coniungeret. Eodem plane modo verbis tantum ornatioribus Wiegandus de structura enuntiationis exponit[73]), nisi quod ea quae sunt more iuvenum sq. de toto verborum ambitu intellegi vult. Sed addendo verbo egit alterove militiam in lasciviam vertit enuntiatum illud in duas partes dividendum esse iam propterea verisimile non est, quod sententiae duae complures similes notiones continerent easque inepte compositas. Nam generaliorem notionem (militiam in lasciviam versam) exciperent specialiores duae (voluptates et commeatus) ipsae relatae rursus ad alias quasdam, quae cum ad totam illam priorem spectarent, verborum ordine cum posterioribus modo iungerentur. Non magis illud constructionis grammaticae genus comprobare licet quod in vertendo proposuerunt Rothius et Wiegandus statuentes alter rettulit pro gessit alter licenter pro ad

---

73) Explicat: »Neque ille erat is, qui morem plerumque iuvenum (tribunorum) sequeretur, qui aut licenter militiam in lasciviam vertunt, aut segniter titulum tribunatus et inscitiam ad vol. et comm. referunt«; convertit: »Und Agr. betrachtete auch nicht nach der Gewohnheit junger Herrn, welche den (ernsten) Kriegsdienst zu einem Spiel und Unfug machen, sein Offiziers-Patent und seine noch jugendliche Unwissenheit als einen Freibrief zu allerhand übermüthigen Ungezogenheiten (licenter), noch auch nach Art jugendlicher Vergnüglinge (segniter) zu sinnlichen Lüsten und Urlaubsreisen«.

licentiam accipiendum esse. Neque erat omnino cur Draegerus [74]) annotaret: »Regelrecht wäre die Periode so: nec — cett.«. Etsi enim rectissime se haberet etiam talis circuitus: nec Agr. lic. more iuv. qui militiam pro ludibrio habent ad lasciviam neque segniter ad vol. sq. vel nec Agr. ad licentiam more iuv. qui sq., intellegere tamen non possum quare ea quam libri exhibent verborum compositio non sit recta aptave; cui nisi more suo reprehensionem viti aetati suae proprii inseruisset, e Wexi sententia scripsisset fortasse Tacitus: nec Agricola licenter aut segniter sq. Iam cum et iis qui licenter et qui segniter se gerunt voluptates non minus quam commeatus gratissima esse soleant, nihil sane impedit quin cum Schoemanno et Gutmanno utrumque adverbium ad utramque notionem pertinere dicamus; quarum si, ut Kritzius iudicat, alteram ad licenter, alteram ad segniter, Tacitus referri voluisset, praesertim cum (duplex) antecedat negatio, certe voluptates aut commeatus legeremus.

nosci exercitui. Peerlkampius haud spernendis usus argumentis coniecit noscere exercitum. Ac si codicum lectio non movenda est, quae qua ex illo noscere exercitum orta sit certam quandam rationem indicare me non posse concedo, ingenue fatendum fuisse puto interpretibus hunc locum ex iis esse quibus si ita ut Peerlkampius legendum decrevit Tacitus scripsisset, melius facturus fuerit (cfr. Luc. Muelleri ed. Horat p. VIII). Passivi enim verbi non formae solum ab activis ceteris diversae sed multo magis sensui a toto sententiarum ordine discrepanti non levis inest offensio, quoniam nosci exercitui neque ut ceteri infinitivi verbis quae sunt ad vol. et comm. rettulit contrariam notionem addit et cum eo quod sequitur nihil appetere in iactationem videtur quodammodo repugnare. Cfr. etiam quae de recognoscendis et enarrandis scr. minor. Woelfflinus Phi-

74) Eiusdem explicatio »rettulit »er benutzte«, **eigentlich** = spectare putavit«. non video quid proficiat.

lol. 25 122 disputat. — Voces et anxius et intentus, quas Peerlkampius sicut cap. 4 illud comitate et parsimonia mixtum parum caute suspectavit, bene explicatae sunt a Wexio ed. min.[75]. — Exemplis iuncturae et — et quae Spitta congessit addas p. 90 1): Germ. 14; Dial. 1 bis, 2, 5 bis, 10, 14 bis, 15, 16 bis, 17. 18, 21, 22 bis, 23 bis, 25, 26, 28, 31, 33, 34 bis. 35, 36 bis, 37 bis (?), 39; p. 91 med.: Dial. 8, 9, 25 bis, 26 (Suet. Caes. 1, 31; Aug. 27, 32, 43; Tib. 25, 33; Cal. 22, 37; Claud. 13, 46; Ner. 52; et — et in solis ll. I. et II. plus octogies extat). De adverbio simul vid. Wex. p. 68, Spitta p. 94 sq., Woelfflinus Philol. 26, 112, Draeger. §. 125; quaerenti huic desitne cum — tum hos duos demonstro locos: Dial. cap. 5 et 14 (addito etiam), quorum utroque antecedit et — et (cfr. Suet. Caes. 3, 75; Claud. 30; Ner. 46; Vit. 4; Dom. 12; de gr. 23; de rhet. 1; tum — tum: Tit. 3; de rhet. 1). — Infinitivum historicum, de quo vid. Draeger. §. 28 d), in Dial. nusquam, in Germania tricesimo tantum capite (novies) legi non miraberis (cfr. quae supra ad vocem interim annotavimus); saepius in »Agricola« reperitur: cap. 5 (septies), 15 (ter), 18 (bis et semel), 19 (novies deciesve), 20 (sexies), 21 (bis bis), 27 (semel), 36 (ter et semel), 37 (septies), 38 (decies), 42 (bis). Coniunctiones vero sequentem eum (Draeger. §. 172) in scr. min. non invenies, si exceperis fortasse infinitivos primos tres in Agr. c. 36 hoc sensu: igitur ut Batavi etc., ubi verbum coepere cum uno infinitivo erigere quamquam ei quoque postpositum iungendum esse crediderim[76].

In sequenti enuntiato utrum exercitatior, quod li-

75) Priore adiectivo eam quae sententiarum summa postuletur notionem significari posse etiam ex his verbis Dial. c. 39 apparet: ipsam quin immo **curam** et **diligentiae** stili **anxietatem** contrariam experimur.

76) Iam video eandem constructionem tacentibus ceteris Rothium in convers. germ. secutum esse. Ceterum cfr. Spitta p. 98.

bri habent, an excitatior, quod Buchnerus coniecit, legendum sit, de eo suspicor non fore unquam ut uno ore interpretes consentiant. Nam prius vocabulum Gutmannus, Rothius, Dübnerus, Peerlkampius, Draegerus interpretantur »bedrängter, magis agitata et vexata (ab incolis Britannis)«, Wexius explicat »non est magis vexata (»heftiger bedrängt«), sed magis agitata, concitata (in grösserer Aufregung und Gährung)« cumque reiciat coniecturam, probat interpretationem Buchneri »magis erecta in spem recuperandae libertatis«. Utuntur autem et Draeger. et Wex. ad opiniones suas firmandas eodem exemplo (Hor. epod. **9** 31), cui laudato iam ab Ernestio et Freundio (in v. exercitare) Draegerus cum verba Petron. sat. 83 collata item a Freundio addiderit, duobus his locis fretus sententiam Woelfflini contemnendam censet. Is Philol. **26**, 141—2 (coll. p. 115) contendit participium exercitatus quia in Agr. c. 36 significatione »geübt« positum sit non etiam »vexatus«[77]) valere posse apud Tacitum, cuius hic sit mos ut verbum frequentativum pro simplici genuina modo, utique una eius significatione usurpari velit; itaque rectissime a Kritzio receptam esse Buchneri coniecturam facillimam, quae sola sententiarum ordini respondeat. Quod posterius dictum si ipsum etiam in rem suam convertere eoque significare V. D. in animo fuit[78]) sensu totius loci non vexandi sed excitandi notionem postulari, legerit velim Peerlkampi annotationem, qua scite demonstratum puto Britanniam hic non totam insulam partemve eius citra Caledoniam sitam sed »recuperatam« brevi provinciam esse[79]) ideoque aptis-

---

77) De Wexi explicatione silet, recte, nisi fallor. Nam si excitatam Tacitus dicere voluit Britanniam, intellegi non potest cur pro ipso eo vocabulo exercitatus scripserit; v. etiam Peerlkampius.

78) Quae opinatio iis maxime nititur quae ille antea proxime dicit: »Wollte Tac. von einem geplagten Britannien sprechen, unter welchem Ausdrucke e. q. s.«.

79) Ad provinciam Romanorum Britanniae vox non raro re-

sime dici vexatam. Neque tamen cum Peerlkampio ex hac vocis eius significatione discrimen scripturae mihi iudicandum videtur. Nam provincia Britannica cum tota rebellaverit (c. 18 5, coll. c. 15 et 16), excitata non minus apte quam vexata appellari potest, atque etiamsi »omnia ad Romanos pertinere« concedas, tamen a Taciti consuetudine minime alienum est duas notiones similes illas quidem sed e diversa cogitandi ratione intellegendas coniungere, de qua re optime disputavit Spitta p. 80 sq. Omisso igitur hoc argumento quaerendum est num altero quod attulit Woelfflinus diiudicari res possit. Cui non cessisse Draegerum supra iam commemoravi; et sane haud scio an hic usus illius Tacitei quem Woelfflinus observavit exceptionem ponere nobis liceat, quia recte forsitan conicias scriptorem studio quo erat novandae dictionis (v. Woelfflin. l. l. p. 100 sq.) in exprimenda notione vexandi trito illi exercitus[80]) intensivam formam exercitatus neglecto etiam huius sensu vulgari praetulisse. Quae si cui incertiora videntur, aut alia proferat quibus codicum fides augeatur sive minuatur, aut opinionem meam de consensu interpretum confirmet.

etsi consilio e. q. s. Iis quae de enuntiato hoc vituperando Peerlkampius exposuit non possum non assentiri. Nec vero interpolatoris[81]) statim sentio manum;

---

fertur: c. **5** 1, 3, **8** 1, 2, **9** 6, 7, **16** 2, 6, **17** 1, **18** 1, 5 (totius Brit.) **31** 2, **39** 4; plerisque sane locis totam insulam significat: c. **10** 1, 2, 3, 4, **11** 1, cet. Perinde Britanni intellegendi sunt incolae vel totius insulae: **11** 5 bis, **21** 2, **34** 1, 2; vel partis subiectae: **13** 1, **15** 1, 3, 6, **28** 3, **29** 2, **32** 2, 5; vel non subiectae: c. **25** 3., **26** 3 cet.

80) Quod ne ipsum quidem usitata significatione ponere Tacitum solere post Boetticherum (lex. in v.) Nipperdeyus ad annal **3** 67 (cfr. Heraeum ad hist. **4** 4) demonstravit.

81) Videnda quae de longioribus glossis quas libris Taciti imputaverint a Woelfflino Philol. vol. 26 pag. maxime 105 et 106 prudenter exposita sunt, neque omittendum cum toti verborum illorum formae pravi nihil inesse (cfr. etiam temporum aptissimum usum: agebantur — cessit) tum illud cedere in [illegible] a nostro usurpari (v. Boettich. i. v.).

immo exemplum agnosco sermonis non satis bene compositi ortum ab ipso scriptore, quem amore suo singulis narrationis partibus cogitationes quasdam ad illas pertinentes adiciendi inductum hic esse existimo ut sententiam minus aptam orationi admisceret. Neque enim quaecunque scripsit Tacitus omnia omnibus numeris absoluta sunt, sed cum non maior ipse fuerit bono Homero, etiam in eius scriptis inveniri nonnulla verum est quae, ut Haupti verbis utar, excusari possint, laudari autem neutiquam debeant. Quodsi scriptori sententiis denso excidere potuisse inconcinnam ac perversam sententiam concesseris, ne in verbosa quidem enuntiati illius dictione offendes, quoniam saepe fit ut in exprimenda sententia non satis perpensa longiores simus. Sin autem eam quae vocabulis summa rerum (»die Hauptanführung« Gutmannus) sequentibus illud cuncta — agebantur contineatur iterationem absurdiorem esse quis dicat quam quae etiam »dormitanti« Tacito tribui queat[82]), consideret is velim duplicem vim illius summa rerum, quam praeter Peerlkampium Heraeus altera quam ad hist. 2 33, 11 scripsit annotatione scite illustravit. Quacum qui Boetticheri (p. 448) hanc explicationem »summa, maxime familiaris Tacito vox, ... est Summe, Gesammtheit, das Ganze, haud raro adiuncta eventus notione« contenderit, non iam dubitabit quin sola Rothi interpretatio »und der ganze Erfolg sammt dem Ruhme« probanda sit, idque eo magis quod cum in utroque enuntiati concessivi membro binae sic extent notiones propinquae, duritiam tautologiae quam reprehendunt haud paulum leniri perspicuum est.

Postremam capitis sententiam Peerlkampius quamquam »veram et bene expressam« appellat, tamen ab hoc loco alienam esse arbitratur. Cuius opinionis argumenta ut eodem quo ille attulit ea ordine breviter refutem, primum

82) Incidit mihi in mentem extiturum forsitan qui saltem tres voces summa rerum et ut glossam ad quae cuncta adscriptam aut duas rerum et ut e primis verbi recuperatae litteris (re) errore aliquo bis scriptis profectas delendas esse contendat.

interroganti illi »Quid eum movebat et stimulabat nisi cupido gloriae?« respondeo: »bona integraque natura« et religio offici; an quicunque in »prima parte vitae publicae« strenue se gesserunt iuvenes Romani militaris gloriae cupidine ducti sunt? Tum non legimus »illam recuperata a Paulino provincia primum intrasse« animum Agricolae, neque hunc sola *gloria quae in ducem cessit* (quae verba cum delenda censuisset, adhibere hic non debuit V. D.), sed *cuncta ea* »cupidini aperuerunt«. Atque ut de periculosa fama militari Agricolae iuvenis disseratur tantum abest ut cupido famae ingrata[83]) temporibus illis nominetur, quod abhorrere ab hoc loco persuadere mihi non possum; immo aptissimum mihi videtur in principio publicae Agricolae vitae significari funestam causam luctuosi eius exitus. — De vocabulis *nec minus* vid. Spitta p. 118, ubi ex Dial. adscribas c. 20 *neque ideo minus* atque **nec magis**; apud Suetonium *nec minus* extat e. g. Caes. 44; Tit. 7, 8; de gramm. 7; de rhet. 3, 5 (*nec eo* m.); *nec minore* Caes. 28, 77 (— *ris*); Aug. 42; Tit. 4. — Verbi substantivi denique in secundariis enuntiatis omissi Draegeri §. 36 (coll. Heraeo ad hist. 4 12, 11) haec nunc addo exempla: Agr. 5. 18, 29, (30), 36, (37); Germ. 13, 30, 45; hist. 4 74; annal. 3 28, 14 32; Agr. 9, 38 (ubi); ann. 2 83; Agr. 33 (ut); prout: Germ. 32; cum: G. 14; donec: Agr. 26; quia: Agr. 10; G. 14; hist. 1 13; quamquam: Agr. 6 et 18 (ante alterum indicativum); si: Agr. 46. —

Etsi multo maior pars opusculi mei restat etiam, tamen et cuidam necessitati parens et doctorum de interpretandi hac ratione iudicium experturus intermitto nunc — exeunte beatissimo anno CIↃIↃCCCLXX. — annotationes, brevi eas, si non inutiles existimatae erunt,

continuaturus.

83) Coniectura Peerlkampi **ingratae** non inepta quidem sed supervacanea est neque cum collocatione nominativi *cupido* videtur convenire.

Vita.

Natus sum Adolfus Pohlmann in viculo Guestfaliae cui nomen est Roensal pridie id. Sept. anni h. s. XLVII. patre Carolo Ernesto matre Amalia e gente Kipperia. Inde cum octavo anno post Kierspam, finitimum in vicum, pater transmigrasset, complures annos »puer puerilia tractare« perrexi. Tum ad litteras conversus latinae et graecae linguarum elementa potissimum ab **Henrico Koettero** sacerdote Halverano viro humanissimo, cuius summa in me merita grata semper memoria prosequar, alia rudimenta ab ipso patre carissimo doctus sum. Iam cum XV. annum aetatis civis gymnasi Arnsbergensis degissem, autumno anni CIↃIↃCCCLXII scholam adii Susatensem, cuius fama **C. A. Jordani** rectoris et prudentissimi et acerrimi cura diligentissima in dies augebatur. Nec unquam mutationis me poenituit: e praeceptoribus egregiis rectoris praeter ceteros industrii honorato nomini addo **Car. Koppium** virum peritissimum integerrimum et **Conr. Dudenum** praestantem iudici elegantia, rectorem nunc gymnasi Schleizensis. At mense Novembri anni sequentis lateribus morbo affectis per ter sex menses studia intermittere coacto anni demum CIↃIↃCCCLXVI vere examen quod dicunt maturitatis absolvere mihi contigit. Amplexus autem grammaticam artemque educandi aestate ei. a. e medicorum consilio Wirceburgi, deinde per duo semestria Berolini, per quattuor Bonnae scholis interfui professorum doctissimorum gravissimorum, quorum maxime colendum paullo post nuntio etsi non inexpectato acerbis-

simo tamen comperimus Gottingae nobis ereptum esse: summum **Ottonem Jahnium**, cuius desinemus lugere mortem, nunquam venerari memoriam. — Eos denique menses qui ex illo tempore praeterierunt in domo parentium litteris dedi operam, cuius fructuum partem indulgenter nunc excepit Ordo Amplissimus Georgiae Augustae, quem studiis his Tacitinis favere adiutoremque esse constat.

Sententiae controversae.

I. Nisi in tua ipsius educatione diligenter versatus es, aliorum educatio bene tibi non cedet.

II. Religio cum ad recte conformandum atque excolendum animum et mentem utique necessaria sit, nisi omne aut potissimum studium in doctrina sacra collocamus, singula »dogmata« usitata perceptaque diiudicandi negotio prorsus abstinere nostrum et officium et ius est praecipuum.

III. Philologiae studiosos qui puerorum institutioni se dedere in animo habeant magis »verborum interpretationi« quam »rerum cognitioni« operam dare necesse est.

IV. Ad syntaxin latinam recte constituendam iam omissis et dialecticis artificiis et rationem elegantem consectandi studio inani, quia vera potius quam speciosa persequenda sunt, a diligentissima pervestigatione sermonis uniuscuiusque scriptoris proficiscendum est. Quem perscrutandi singula laborem operosum qui ut frigidum exagitant atque contemnunt non reddunt supervacaneum.

V. »Candidatis philologiae« tradenda est non sextae quintaeve sed quartae vel tertiae classis puerorum institutio.

VI. Ordinem discipulorum constitui e sola ratione scriptorum quae semestri quoque spatio exeunte coram magistro illi componere solent omnino improbandum est.

VII. Aptissima docendo brevitas.
